DE EPITOMIS ANTIQUIS

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM AUCTORITATE ET CONSENSU AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM IN ACADEMIA MARPURGENSI ORDINIS AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HENRICUS BOTT
HAGENOVIENSIS

MARPURGI CHATTORUM MCMXX
TYPIS JOH. HAMEL MARPURGENSIS

Dissertatio referente Theodoro Birt
ab amplissimo philosophorum ordine
probata est die XXIX m. Novembris a. MCMXIX.

MEMORIAE FRATRIS

S.

Antiquissimis iam temporibus non deerant, qui scripta per multa volumina diffusa, cum ampliora essent legentibus, in brevem formam redigerent, quam epitomen vel breviarium vocare consuevimus. Vetustissima vero illa Herodoti epitoma videtur esse, quam confecit Theopompus quarto a. Chr. n. saeculo. Sed quo magis tempora procedebant, eo crebriores exsistebant epitomae. Ultimis denique imperii Romani saeculis aliae ex aliis proveniebant, cum homines omnibus doctrinae generibus studentes litterarum subtiliore cognitione ac ratione desisterent brevemque rerum expositionem expeterent et ii quoque, qui omnem diligentiam et industriam in litteris collocabant, magis multitudinem librorum quam fusam argutamque doctrinam in libris legendis spectarent. Exempli causa afferre mihi liceat ea, quae Januarius Nepotianus in praefatione epitomae Valerii Maximi ad Victorem scribit: *Impensius quam ceteri adulescentes litteris studes, quo tantum perficis, ut exigas scripta veterum coerceri* [Val. Max. ed. Halm p. 488].

Itaque non solum priorum scriptorum opera excerpebantur, sed etiam scriptores ipsi, qui diffusum opus ediderant, saepe commovebantur, ut artius idem opus retractarent. Huius consuetudinis causas bene intellegere possumus ex iis, quae scripsit Galenus in praefatione libri, qui inscribitur Σύνοψις περὶ σφυγμῶν ἰδίας πραγματείας [Galenus, ed. Kuehn VIII p. 431]:

Οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ὀρέγονται μὲν ἐπιστήμης ἀκριβοῦς ὧν ἑκάστοτε μανθάνουσι, τὴν δὲ ἐπ᾽ αὐτὴν ἄγουσαν ὁδὸν ὀκνοῦσιν ἰέναι καὶ διὰ τοῦτο τοὺς κατὰ διέξοδον ἑρμενευομένους λόγους ἀποδιδράσκοντες ὡς μακροὺς ἔνιοι μὲν εἰσαγωγὰς ἢ ὑπογραφὰς ἢ ὑποτυπώσεις ἀναγινώσκουσιν, ἔνιοι δὲ ἐπιτομὰς ἢ συνόψεις ἢ ἐπιδρομάς· . . . ὅλως μὲν γὰρ οὐδὲ προῃρούμην ἐμῆς πραγματείας ἐπιτομὴν

ποιεῖσθαι, βέλτιον ἡγούμενος εἶναι τοὺς τὰς διεξόδους ἀκριβῶς ἀναλεξαμένους ἑαυτοῖς ἐπιτέμνεσθαι· χρήσιμοι γὰρ οὕτως αἵ τ᾽ ἐπιτομαὶ καὶ αἱ συνόψεις γίνονται κατὰ τὴν ἰδίαν ἕξιν ἑκάστῳ γραφόμεναι· ἐπειδὴ<δὲ> ἄλλους ἔγνων ἐπιτομὰς ποιουμένους τῶν ἐμῶν πραγματειῶν οὐκ ὀρθῶς, αἷς ἐντυγχάνοντες οἱ τὰς διεξόδους ἀναγινώσκειν ὀκνοῦντες βλάπτονται, διὰ τοῦτ᾽ αὐτὸς ἠναγκάσθην ἐπὶ τήνδε τὴν πρᾶξιν ἀφικέσθαι παρὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς γνώμην καὶ πρώτην γε πασῶν τὴν περὶ σφυγμῶν πραγματείαν εἰς σύνοψιν ἤγαγον.

Jam vero magnum librorum numerum antiquis temporibus in angustum contractum esse nobis traditur, sed de ratione, qua confecti sint, nihil compertum habemus nisi paucorum, qui vel ipsi nobis servati sunt vel ab aliis scriptoribus planius describuntur. Multis enim modis maius librorum corpus, quod varietatem quandam litterarum comprehendebat, excerpi potuit: modo omnes operis libros aequabili constantia in brevem formam redegerunt epitomatores, modo certam rationem sequentes singulas partes elegerunt. Sic et totum Livianorum librorum corpus in epitomae formam coactum est et singulae res tractabantur: alii bella alii orationes, alii exempla virorum illustrium alii virtutes et vitia, alii prodigia alii strategemata elegerunt, alii denique partes quasdam, ut bella cum Parthis gesta, tractabant.[1]

Deinde etiam exstant breviaria, quae non ex uno sed ex compluribus operibus excerpta nihil nisi brevem alicuius rei expositionem continent. Saepius enim ii quoque scriptores, qui epitomen alicuius operis se fecisse dicunt, tamen ex aliis scriptoribus nonnulla addunt vel corrigunt. Contra alii, qui compluribus operibus se usos esse contendunt, re vera nihil nisi unius scriptoris epitomen praebent. Exemplo est et Julius Paris, qui in epitoma Valerii Maximi ex aliis nonnulla addidit et correxit et M. Cetius Faventinus, qui in praefatione operis, quod inscribitur *artis architectonicae privatis usibus adbreviatus liber,* haec verba facit:

[1]) cf. Woelfflin, Archiv für latein. Lexicographie XIV. 1906. p. 221.

De artis architectonicae peritia multa oratione Vitruvius Polio aliique auctores scientissime scripsere, verum ne longa eorum disertaque facundia humilioribus ingeniis alienum faceret studium, pauca ex his mediocri licet sermone privatis usibus ornare fuit consilium.

Tamen nullo alio opere nisi Vitruvii usus est et ordine rerum mutato solisque privatis aedificiis tractatis nihil nisi excerpta ex Vitruvio facta praebet.[1])

Eadem de causa Medicinam Plinii, quae vocatur, nihil nisi Plinianae naturalis historiae librorum, qui ad medicinam pertinent, epitomen esse viri docti suo iure censent, quamquam ipse scriptor in praefatione dicit: *necessarium mihi visum est, ut undique valetudines auxilia contraherem et velut breviario colligerem.*[2])

Saepe etiam scriptores ipsi praecepta, quae multis libris fuse ediderant, breviter in unum locum conferre in animo habebant. Hoc iam Epicurus fecit, qui totam philosophiam in epistulis breviter collegit. Ipse de hac re in initio epistulae ad Herodotum scriptae nonnulla dicit:

Τοῖς μὴ δυναμένοις, ὦ Ἡρόδοτε, ἕκαστα τῶν περὶ φύσεως ἡμῖν ἀναγεγραμμένων ἐξακριβοῦν μηδὲ τὰς μείζους τῶν συντεταγμένων βίβλους διαθρεῖν ἐπιτομὴν τῆς ὅλης πραγματείας εἰς τὸ κατασχεῖν τῶν ὁλοσχερεστάτων δοξῶν τὴν μνήμην ἱκανῶς ἄν τις παρασκεύασαι, ἵνα παρ᾽ ἑκάστους τῶν καιρῶν ἐν τοῖς κυριωτάτοις βοηθεῖν αὑτοῖς δύνωνται, καθ᾽ ὅσον ἂν ἐφάπτωνται τῆς περὶ φύσεως θεωρίας. καὶ τοὺς προβεβηκότας δ᾽ ἱκανῶς ἐν τῇ τῶν ὅλων ἐπιβλέψει τὸν τύπον τῆς ὅλης πραγματείας τὸν κατεστοιχειωμένον δεῖ μνημονεύειν. τῆς γὰρ ἀθρόας ἐπιβολῆς πυκνὸν δεόμεθα, τῆς δὲ κατὰ μέρος οὐχ ὁμοίως. . . . οὐ γὰρ οἷόν τε τὸ πύκνωμα τῆς συνεχοῦς τῶν ὅλων περιοδείας εἶναι μὴ δυνάμενου διὰ βραχειῶν φωνῶν ἅπαν ἐμπεριλαβεῖν ἐν αὑτῷ τὸ κατὰ μέρος ἂν ἐξακριβωθέν. ὅθεν δὴ πᾶσι χρησίμης οὔσης τοῖς ᾠκειωμένοις φυσιολογίᾳ τῆς τοιαύτης ὁδοῦ, παρεγγυῶν τὸ συνεχὲς ἐνέργημα ἐν φυσιολογίᾳ καὶ τοιούτῳ μάλιστα ἐγγαληνί-

[1]) cf. Teuffel, Röm. Literatur-Geschichte II. p. 155. Peter, Die geschichtl. Literatur über die röm. Kaiserzeit II. p. 365.

[2]) cf. Schanz, Röm. Literaturgesch. IV₁ (1914²) p. 202 sq.

ζων τῷ βίῳ, ἐποίησά σοι καὶ τοιαύτην τιν' ἐπιτομὴν καὶ στοιχείωσιν τῶν ὅλων δοξῶν [Usener, Epicurea p. 4].

Sed non solum ut ceteris omissis cognitione quaeque dignissima et memoria tenenda colligerent, opera maiora in brevem formam redegerunt antiqui sed etiam, ut genus dicendi elocutionemque scriptoris servarent, quasi florilegia ex iis confecerunt, quod praecipue in rhetorum scholis factum esse constat.

Omnia haec scripta epitomas nominare consuevimus, quamquam scriptores ipsi alio plerumque nomine opera inscripserunt. Utile igitur videtur esse inquirere, quid apud antiquos scriptores epitomae et breviaria et quae simile valent voces significaverint. Quam quaestionem breviter tractavit Ed. de Woelfflin in commentario, quem scripsit de epitomis [Archiv für lat. Lexicographie XII 1902. 333—344] proficiscens a sermone Latino. Sed Graeci pluribus verbis idem eloqui possunt. Quae omnia fere verba Galenus enumerat eo loco, quem iam supra commemoravimus.

Operibus enim, quibus per fusam disputationem aut narrationem disciplina quaedam explicatur [οἱ κατὰ διέξοδον ἑρμενευόμενοι λόγοι], opponit altera ex parte. εἰσαγωγάς, ὑπογραφάς, ὑποτυπώσεις, quibus disciplina quaedam, non opus certum breviter comprehenditur. Altera ex parte Galenus affert ἐπιτομάς, συνόψεις, ἐπιδρομάς. Quibus verbis breviaria ex opere quodam maiore confecta significare videtur. Sic σύνοψιν inscripsit librum, quo uno in conspectu posuit ea, quae libris suis de pulsibus fusius explicaverat. Quid vero inter singula illa verba intersit, plane intellegere non possumus, nisi forte dicas συνόψεις et ἐπιδρομάς magis res, quae maiore opere continebantur, breviter enarrare, ἐπιτομάς magis speciem elocutionemque librorum servare. Tamen haec cum usu verborum non ubique congruunt, cum imperio quidem Romano exeunte epitomae voce etiam breves alicuius rei expositiones, quae compluribus ex operibus non ex uno opere confectae erant, inscriptae sint. Sic glossaria quoque Latina antiqua ἐπιτομήν interpretantur *adbreviationem*

sive *breviarium* sive *supercisionem, quae de maiore corpore librorum carptim ac defloratim excerpitur, quae alio nomine brevis expositio ac succincta potest appellari, quo nomine solent Graecorum auctores succinctas ac defloratas ex aliis doctoribus expositiunculas appellare* [Corp. Gloss. Lat. VI p. 594. Plura dedit G. Esau: Glossae ad rem librariam pertinentes Diss. inaug. Marp. a. 1914 p. 99].

Qua ex interpretatione intellegi potest epitomae voce potissimum inscriptos esse libros ex maiore librorum corpore excerptos. Sed negari non potest breves quoque alicuius rei expositiones, quae non uno sed compluribus ex operibus haustae erant, hoc nomine appellatas esse.

Nonnulla huius nominandi usus exempla Latina affert Woelfflin [l. c. p. 334]: breviarii enim voce a primo non solum operis alicuius epitomen sed etiam summarium vel brevem enarrationem alicuius rei significari potuisse. Exemplo esse breviarium illud totius imperii, quod imperatorem Augustum confecisse traditum sit a Suetonio [Augustus cap. 101]. Inde factum esse, ut epitomae voce nonnunquam etiam breviarium rei tractandae appellaretur velut Vegetii epitoma rei militaris.[1]) Simili vero ratione etiam Graecos ipsos voce ἐπιτομῆς usos esse nonnullis exemplis demonstrari potest.

Inscriptiones quidem librorum, quibus H. Diels usus est in libro, quem de Doxographis Graecis scripsit, genuinae videntur non esse. Etenim codicibus manu scriptis non traditur Πλουτάρχου περὶ τῶν ἀρεσκόντων φυσικῶν δογμάτων ἐπιτομή, sed Πλουτάρχου φιλοσόφου περὶ τῶν ἀρεσκόντων φιλοσόφοις φυσικῶν δογμάτων βιβλία ε̄. Inscriptio vero, qualem Diels affert, sumpta fortasse est ex libri tertii initio [περιωδευκὼς ἐν τοῖς προτέροις ἐν ἐπιτομῇ τὸν περὶ τῶν οὐρανίων λόγον], quo loco etiam Theodoretus [Gr. aff. cur. IV 31] usus videtur esse, cum affert Πλουτάρχου τὴν περὶ τῶν τοῖς φιλοσόφοις δογμάτων ἐπιτομήν.[2])

[1]) cf. Birt, Kritik und Hermeneutik 1913 p. 343, ubi etiam Vitruvius et Philostratus collatus est.

[2]) cf. Woelfflin, l. c. p. 334.

Simili ratione Diels inscribit Arii Didymi opus ἐπιτομὴν φυσικῶν, cum Eusebius [praep. ev. XI 23.2] dicit ἐκ τῶν Διδύμῳ περὶ τῶν ἀρεσκόντων Πλάτωνι συντεταγμένων.

Aristoteles deinde, quem Diogenes Laertius [II 104] scripsisse dicit διὰ τῆς ἐπιτομῆς τῶν ῥητόρων, ipse libros inscripsisse videtur συναγωγὴν τεχνῶν. Sed illis quidem temporibus, id est primis post Chr. n. saeculis tales libros, qui brevem alicuius rei expositionem continebant, epitomas appellari posse exempla allata docent.

Quod etiam apparet ex verbis Galeni, qui dicit [tom. XV ed. Kuehn, p. 25]: καὶ Θεόφραστος δ'ἂν ἐν ταῖς τῶν φυσικῶν δοξῶν ἐπιτομαῖς τὴν Ξενοφάνους δόξαν εἴπερ οὕτως εἶχεν ἐγεγράφει. καί σοι πάρεστι εἰ χαίροις τῇ περὶ τούτων ἱστορίᾳ τὰς τοῦ Θεοφράστου βίβλους ἀναγνῶναι, καθ' ἃς τὴν ἐπιτομὴν ἐποιήσατο τῶν φυσικῶν δοξῶν. Quo loco non epitomen Theoprastei libri sed hunc ipsum spectari, quippe qui ἐπιτομὴν φυσικῶν δοξῶν continuerit, nemo non videbit.[1])

Deinde afferri possunt ea, quae dicit Diogenes Laertius [prooem. 10]: Μανέθως ἐν τῇ τῶν φυσικῶν ἐπιτομῇ et [VII. 35] τέταρτος (Ζήνων) ἱστορικός . . . γεγραφὼς ἐπιτομὴν τῶν πεπραγμένων Ῥωμαίοις τε καὶ Καρχηδονίοις et quae dicit Suidas: Εὐτρόπιος Ἰταλός· τὴν Ῥωμαϊκὴν ἱστορίαν ἐπιτομικῶς τῇ Ἰταλῶν φωνῇ ἔγραψε et Ἑλικώνιος σοφιστής. ἔγραψε χρονικὴν ἐπιτομὴν . . . et Φύλαρχος. Ἐπιτομὴ μυθική.[2])

Denique non epitomen ex uno maiore librorum corpore factam sed brevem rerum expositionem significat Trebellius Pollio, qui dicit [Hist. Aug. 30 tyr. 30, 22] (*Zenobia*) *historiae Alexandrinae atque orientalis ita perita, ut eam epitomasse dicatur.*

Concedendum ergo est epitomae vel breviarii voce etiam breves expositiones disciplinae cuiusdam ex diversis operibus haustas appellari potuisse. Quae epitomae omnes hoc loco mihi neglegendae sunt, qui non nisi breviaria

---

[1]) cf. Usener, Analecta Theophrastea (Kleine Schriften I. p. 73).
[2]) cf. Jakoby, Apollodors Chronik. Phil Unters. XVI, 1902, p. 20 Adn.

ea, quae uno ex corpore librorum excerpta sunt, circumspiciam.

Jam vero constat antiquos scriptores grandiora scripta per complures libros tribuisse. Singulos vero libros singulis voluminibus chartaceis comprehensos esse praeter ceteros docuit Theodorus Birt in libris, quos scripsit de re libraria antiquorum.[1]) Nam cum volumina non plus certo numero versuum continere possent, opera, quae hunc modum excedebant, in complura volumina discribere opus erat. Qua in re boni scriptores efficere studebant, ut quam maxime congrueret cum rerum dispositione librorum divisio. Volumina scilicet libri vocabantur.

Qua vero ratione scripta per multos libros diffusa, cum in brevem formam contraherentur, ad singula volumina disposita sint, accuratius inquirendum est.

Numerum quidem voluminum, quibus breviaria continebantur, deminutum esse consentaneum est, cum ea, quae olim multis voluminibus explicata erant, in epitomae formam contracta unum vel pauca modo volumina explere potuerunt. Sed quaeri potest neglexerintne omnino ii, qui corpus librorum in breve coegerunt, antiquam librorum divisionem.

Potest enim factum esse, ut in epitoma, quamquam unum in volumen relata erat, tamen qua ratione auctor ipse argumentum ad libros disposuisset, indicaretur sive nota in margine adscripta sive totis librorum inscriptionibus servatis.

Quod plerumque accidisse censuit Th. Birt in libris, quos scripsit de re libraria antiquorum [Das antike Buchwesen etc. a. 1882 p. 383] et de arte critica et interpretandi [Kritik und Hermeneutik p. 376]. Contra Alfredus Klotz in commentariolo, quem scripsit de epitoma Liviana [Die Epitoma des Livius, Hermes a. 1913 p. 542], hoc factum esse negat, quamvis non disertis verbis. Haec vero quaestio, cum de epitomis antiquis agendum sit, inprimis

[1]) cf. Th. Birt, Kritik und Hermeneutik p. 274 et 292 sq.

videtur esse tractanda. Nonnulla itaque, quae huc spectant, proferre pro mea tenui infirmaque parte conabor.

Qua in quaestione tractanda neglegenda omnino sunt, ut iam supra diximus, breviaria, quae non ex uno sed compluribus ex operibus excerpta nihil nisi brevem alicuius rei expositionem continent nec librorum priorum divisionem servare possunt.

Considerandum deinde est, cum traditum sit scriptorem alterius scriptoris opus in epitomae formam redegisse, saepe eum librorum divisionem servare noluisse vel omnino non potuisse.

Sive enim scriptores, quamquam re vera nihil nisi epitomen operis fecerant, opus ut suum ipsorum ediderunt, sive ex opere maiore, quod varietatem quandam litterarum comprehendebat, unam disciplinam elegerunt, priorem librorum divisionem retinere non potuerunt.

Exemplo sit Medicina Plinii, quam iam supra attulimus. Scriptorem enim huius libri, qui non nisi Plinianae naturalis historiae libros, qui ad medicinam pertinent, excerpsit, Plinianorum librorum inscriptiones servare non potuisse perspicuum est, praesertim cum se Plinium esse simulet.

Sed scriptores ii quoque, qui se uno opere usos esse aperte dicunt, nonnunquam librorum divisionem neglegunt, cum magis earum rerum, quas prior scriptor fusius tractaverat, brevem expositionem, quam librorum illius epitomen conficere in animo habeant. Saepius etiam, quia in breviario scribendo ex libidine pristinum ordinem rerum mutaverunt, librorum divisionem servare non potuerunt.

Iam vero epitomarum exempla proponam et primum quidem ea afferam, quae quamquam nihil aliud de iis scimus, tamen demonstrant numerum voluminum, quibus continebantur, minorem fuisse quam voluminum, quibus scripta ipsa comprehendebantur. Contra intellegere non possumus servaverintne hae epitomae priorem librorum divisionem

necne, cum incertum id quoque sit, num illis de causis, quas supra commemoravi, servare illam omnino potuerint. Exemplorum vero, quae afferam, magnam partem collegit Th. Birt in libro, qui inscribitur Das antike Buchwesen p. 385 Adn.

Primus quidem Theopompus libros Herodoti in duos contraxit [Suidas s. v. Θεόπομπος: ἔγραψεν . . . ἐπιτομὴν τῶν Ἡροδότου ἱστοριῶν ἐν βιβλίοις β', cf. Mueller F. H. G. I p. 278]. Ceterum Herodotum ipsum illis temporibus iam in novem libros dispositum esse verisimile non est.

Theopompi vero Philippica ex libris LXII ad libros XVI redegit Philippus V, rex Macedonum, iis, quae non ad Philippum pertinerent, deletis. [Photius cod. 176: Φιλίππος ὁ πρὸς Ῥωμαίους πολεμήσας ἐξελὼν ταύτας (τὰς παρεκβάσεις) καὶ τὰς Φιλίππου συνταξάμενος πράξεις, αἳ σκοπός εἰσι Θεοπόμπῳ, εἰς ις' βίβλους μόνας, μηδὲν παρ' ἑαυτοῦ προσθεὶς ἢ ἀφελὼν πλὴν τῶν παρεκτροπῶν, τὰς πάσας ἀπήρτισεν].

Aristotelis deinde affert Diogenes Laertius [VII, 22]: τὰ ἐκ τῶν νόμων Πλάτωνος α'β'γ', τὰ ἐκ τῆς πολιτείας α'β' [cf. indicem Ptolomaei, ed. acad. p. 1469 n. 15: *l. in quo abbreviavit sermonem Platonis de regimine civitatum tr. II]*, τὰ ἐκ τοῦ Τιμαίου καὶ τῶν Ἀρχύτου α'.[1])

Theophrastum quoque epitomae rei publicae Platonis duos, epitomae Aristotelis de animalibus VI libros conscripsisse commemorat Diogenes Laertius [V 43. 49: Ἐπιτομὴ τῆς Πλάτωνος πολιτείας α'β'. Ἐπιτομῶν Ἀριστοτέλους περὶ ζῴων α'-ς'].

Deinde Theophrasti feruntur in indicibus Laertianis [V. 42—48]: Ἀναλυτικῶν προτέρων α'-γ', Ἀναλυτικῶν ὑστέρων α'-ζ', Ἀναλυτικῶν ἐπιτομὴ α'. Νόμων κατὰ στοιχεῖον κδ', Νόμων ἐπιτομῆς α'-ι'. Περὶ φυσικῶν α'-η', περὶ φυσικῶν ἐπιτομῆς α'β'. Φυσικῶν α'-η', φυσικῶν ἐπιτομῆς α'.[2])

Eodem loco traduntur Epicuri ἐπιτομὴ τῶν πρὸς τοὺς φυσικούς [Diog.-Laert. X p. 261] et Chrysippi περὶ ἐρωτή-

[1]) cf. Stemplinger, Das Plagiat in d. griech. Literat. 1912. p. 180.
[2]) cf. Usener, Analecta Theophrastea. Kleine Schriften I. p. 73.

σεως β', περὶ πεύσεως β', ἐπιτομὴ περὶ ἐρωτήσεως καὶ πεύσεως α'. περὶ ἀποκρίσεως δ', ἐπιτομὴ περὶ ἀποκρίσεως α'. ἐπιτομὴ τῶν πρὸς Ἐπικράτην ἀμφιβολιῶν α' [Diog.-Laert. VII 7. p. 191].

Philochorum libros XVII et horum epitomen conscripsisse dicit Suidas [s. v. Φιλόχορος: ἔγραψεν Ἀτθίδος βιβλία ις' . . . ἐπιτομὴν τῆς ἰδίας Ἀτθίδος].

Heraclides Lembus libris VI excerpsit Vitas Satyri, quarum commemorantur libri IV, et Sotionis libros XXIV, qui inscribi solebant Διαδοχαὶ τῶν φιλοσόφων. Ex ambobus scriptis unum opus, quod communi titulo inscribebatur, fecisse videtur, ita autem, ut Satyrum a Sotione discerneret [cf. Daebritz in Pauly-Wissowa R. E. VIII p. 490 et Immischii Agatharchidea, Sitz.-Ber. d. Heidelbg. Akad. 1919, 7. Abh. p. 36. Heraclidem divisionem librorum servavisse concludi fortasse potest ex epitoma Hermippi. cf. infra p. 20].

Agatharchides Cnidius praeter alias epitomas etiam librorum V, quos ipse de mari Rubro scripserat, epitomen confecit uno libro [Photius cod. 213: Ἐπιτομὴν δὲ αὐτόν φασι (τὸν Ἀγαθαρχίδην) τῶν περὶ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης ἀναγεγραμμένων ἐν ἑνὶ συντάξαι βιβλίῳ, ἀλλὰ καὶ ἐπιτομὴν τῆς Ἀντιμάχου Λύδης καὶ πάλιν ἄλλην ἐπιτομὴν τῶν συγγεγραφότων περὶ ἀνέμων].

Timosthenes ex libris X, quos ipse de portibus scripserat, duo confecit breviaria singulis libris [Marcianus, Epitome Peripli Menippei, Geogr. Graeci Min. I p. 536: τούτων δὲ τῶν ι' βιβλίων ἐπιτομὴν ἐν ἑνὶ πεποίηται (Τιμοσθένης) βιβλίῳ εἶτ' ἐν ἑτέρῳ πάλιν ἑνὶ τῶν καλουμένων σταδιασμῶν ἐπιδρομήν τινα συνέραψεν].

Pamphila vel Soteridas Ctesiae Persica ex libris XXIII redegit ad libros III [Suidas s. v. Παμφίλη: θυγάτηρ Σωτηρίδου, οὗ λέγεται εἶναι καὶ τὰ συντάγματα . . . ἔγραψεν ἐπιτομὴν τῶν Κτησίου ἐν βιβλίοις τρισί]. Quod vero Christ in historia litterarum Graecarum et alii, qui ea usi videntur esse, dicunt exstare apud Photium excerpta epitomae Pamphilae [Christ I (1908[5]) p. 494: *Dem Patriarchen Photius*

cod. 72 verdanken wir einen Auszug aus der Epitome, welche die Grammatikerin Pamphila unter Nero in 3 Büchern gemacht hatte], hoc falsum est. Re vera enim Photius integris Ctesiae libris usus est [cod. 72: Ἀνεγνώσθη βιβλίον Κτησίου τοῦ Κνιδίου τὰ Περσικὰ ἐν βιβλίοις κγ'. cf. Wachsmuth, Einleitung in das Studium der alten Geschichte 1895. p. 368].

Diophanes Bithynius Cassium Dionysium Magonis Poeni interpretem per viginti volumina diffusum sex libris circumscripsit [Columella de re rust. I 1. 10. Varro de re rust. I 1. 10: *Mago Carthaginiensis Poenica lingua res dispersas comprehendit libris XXVIII, quos Cassius Dionysius Uticensis vertit libris XX ac Graeco sermone Sextilio praetori misit. Hosce ipsos utiliter ad VI libros redegit Diophanes in Bithynia et misit Deiotaro regi*].

Cuius breviarium denuo in duos libros coegit Asinius Pollio Trallianus qui etiam Philochori librorum XVII epitomen confecit [Suidas s. v. Πωλίων: ἔγραψεν ἐπιτομὴν τῶν Διοφάνους Γεωργικῶν ἐν βιβλίοις β'. — καὶ ἐπιτομὴν τῆς Φιλοχόρου Ἀτθίδος].

Phlego Trallianus scripsit Olympiadum libros XVI eorumque duo breviaria libris VIII et libris II confecit [Suidas s. v. Φλέγων: ἔγραψεν Ὀλυμπιάδας ἐν βιβλίοις ιϛ', τὰ δ' αὐτὰ ἐν βιβλίοις η' καὶ ἐπιτομὴν τῶν Ὀλυμπιονικῶν ἐν βιβλίοις β']. Quodsi apud Suidam legitur τὰ δ' αὐτὰ ἐν βιβλίοις η' et deinde post alia ἐπιτομὴ τῶν Ὀλυμπιονικῶν ἐν βιβλίοις β', utraque haec ad idem opus pertinere putat Mueller [F. H. G. III p. 602]. Suidam enim male distinxisse propterea, quod in auctore, unde alteram inscriptionem deprompserit, scribae errore lectum sit ἐν βιβλίοις η' pro ἐν βιβλίοις β'. Utcumque haec res se habet, breviariis magis brevem rerum factorumque expositionem, quam epitomen priorum librorum confecisse videtur.

Didymi Claudii Suidas commemorat ἐπιτομὴν τῶν Ἡρακλέωνος [s. v. Δίδυμος ὁ Κλαύδιος] et Heronis ἐπιτομὴν

τῶν Ἡρακλείδου ἱστοριῶν [s. v. Ἥρων Κότυος]. Qui vero ille Heracleo et ille Heraclides fuerint, incertum est [cf. Pauly-Wissowa R. E. s. v. Didymos et Heron].

Diogenianus Pamphili et Zopyrionis libros nonaginta quinque excerpsit libris V [Suidas s. v. Διογενειανός: Λέξις παντοδαπή κατὰ στοιχεῖον ἐν βιβλίοις ε', ἐπιτομὴ δέ ἐστι τῶν Παμφίλου λέξεων ε' καὶ ϟ' καὶ τῶν Ζωπυρίωνος]. Sed Diogenianum non ipsius Pamphili opere sed Julii Vestini epitoma usum esse intellegi potest ex Schol. B ad Hom. Il. V 576: ἐκ τῶν Διογενειανοῦ τῆς ἐπιτομῆς τῶν Οὐεστίνου Ἑλληνικῶν ὀνομάτων. Quem Suidas tradit epitomen Pamphili confecisse libris IV [s. v. Οὐηστῖνος: ἔγραψεν ἐπιτομὴν τῶν Παμφίλου γλωσσῶν βίβλους δ']. Sed cum verisimile non sit Vestinum libros IV, Diogenianum autem, qui eum excerpsit, libros V confecisse, numerum illum correxit Naber [Phot. proleg. p. 20] et scripsit XXX pro IV (Λ' pro Δ') [cf. Cohn, Pauly-Wissowa R. E. V. 778 sq.]. Alios vero librorum numeros affert Suidas in praefatione, ubi auctores operis sui enumerans dicit: Οὐηστῖνος Ἰούλιος . . . ἐπιτομὴν τῶν Παμφίλου γλωσσῶν βιβλίων ἐνενήκοντα ἑνός. . . . Πάμφιλος Λειμῶνα λέξεων ποικίλων περιοχὴν βιβλίων ἐνενήκοντα πέντε, ἐστὶ δὲ ἀπὸ τοῦ ε̄ στοιχείου ἕως τοῦ ω. τὰ γὰρ ἀπὸ τοῦ ᾱ μέχρι τοῦ δ̄ Ζωπυρίων πεποίηκε. Ceterum neque Vestinum neque Diogenianum priorem librorum divisionem servavisse verisimile est, cum uterque proprio nomine opus suum inscripserit [Ἑλληνικὰ ὀνόματα, Λέξις παντοδαπή].

Alexio in brevem formam coegit Didymi Συμποσιακά vel Σύμμικτά, qui ipse Aristophanem Byzantium excerpserat [Ammonius de diff. s. Γέρων: Ἀλεξίων δηλοῖ ἐν τῇ ἐπιτομῇ τῶν Διδύμου συμμικτῶν, λέγων οὕτως ἐκ τῶν Ἀρίστωνος (l. Ἀριστοφάνους) περὶ ἀνθρώπου γενέσεως καὶ αὐξήσεως ἄχρι γήρως. cf. Cohn, Pauly-Wissowa R. E. V 470. 31 sqq.].

Aelius Serenus libros Philonis Byblii XXX, qui inscribebantur περὶ πόλεων καὶ οὓς ἑκάστη αὐτῶν ἐνδόξους ἤνεγκε, redegit ad libros III idemque scripsit epitomen Philoxeni librorum in Homerum libro uno [Suidas s. v.

Σερῆνος: Ἐπιτομὴν τῆς Φίλωνος πραγματείας περὶ πόλεων καὶ τίνες ἐφ' ἑκάστης ἔνδοξοι βιβλία γ'. Ἐπιτομὴν τῶν Φιλοξένου εἰς Ὅμηρον α'].

Deinde affero Menippum qui Xanthi Lydiaca excerpsit [Diog. Laert. VI 101: πρῶτος (Μένιππος) ὁ γράψας τὰ περὶ Λυδῶν καὶ Ξάνθον ἐπιτεμόμενος] et, quos Suidas commemorat, Demosthenem Thracem, qui Damageti libros, et Myem, qui Hippys Rhegini libros excerpisse dicitur [Suidas s. v. Δημοσθένης Θρᾷξ: Ἐπιτομὴν τῶν Δαμαγήτου τοῦ Ἡρακλεώτου. s. v. Ἵππυς: ἔγραψε τὰς Σικελικὰς πράξεις, ἃς ὕστερον Μύης ἐπετέμετο. de Hippy cf. Jacoby in Pauly-Wissowa R. E. VII 2604 sqq.].

Denique commemoro Oribasium, qui primum omnia, quae Galenus de medicina scripserat, deinde quae „optimi medici" conscripserant, breviter collegit. Quod opus LXX librorum, quod ἰατρικαὶ συναγωγαί inscriptum erat, tum mutato rerum ordine ad IX libros redegit, qui inscribuntur σύνοψις πρὸς Εὐστάθιον τὸν υἱόν. [Photius cod. 216: ἡ μὲν οὖν πρώτη σπουδὴ τῷ ἀνδρί, ἃ Γαληνὸς μὲν ἔγραφεν ὁ ἰατρός, συντέμνει. cod. 217: ἡ δὲ δευτέρα πραγματεία Ἰουλιανῷ μὲν καὶ αὕτη τὴν προσφώνησιν ποιεῖται, ἐν ο' δὲ περαίνεται λόγοις . . . προοιμιάζεται δὲ καὶ αὕτη τοῦτον τὸν τρόπον· Τὰς προσταχθείσας ἐπιτομὰς παρὰ τῆς σῆς θειότητος, αὐτοκράτορ Ἰουλιανέ, πρότερον . . . εἰς τέλος ἤγαγον καθὼς ἠβουλήθης, ἅς τινας ἐκ μόνων τῶν ὑπὸ Γαληνοῦ γραφέντων ἐποιησάμην. ἐπειδὴ δὲ ἐπαινέσας ταύτας δευτέραν ἐπέταξας πρᾶξιν, πάντων τῶν ἀρίστων ἀνδρῶν ἀναζητήσαντά με τὰ καιριώτατα συναγαγεῖν . . . καὶ τοῦτο πράττειν ὡς οἷός τέ εἰμι διέγνωκα. cod. 218: Τρίτη δὲ αὐτῷ διεσπούδασται, ὡς καὶ αὐτὸς ἐκεῖνος προοιμιαζόμενος λέγει, συντομίαν αὐτῷ τῆς δευτέρας περιέχουσα πραγματείας. Εὐσταθίῳ δὲ τῷ υἱῷ τὸ βιβλίον ἀναφωνεῖ, θ' διῃρημένον λόγοις. . . . cf. Christ, Griech. Literaturgesch. II⁵ p. 899 sqq.].

Haec Graeca exempla sequantur Latina nonnulla, quae huc spectant.

Primus M. Junius Brutus breviaria librorum Polybii, Coelii Antipatri, Fannii conscripsisse traditur.

[Suidas s. v. Βροῦτος: ἔγραψεν Πολυβίου τοῦ ἱστορικοῦ βιβλίων ἐπιτομήν. Cic. ad Att. XII 5. 3. *epitome Bruti Fannianorum.* Cic. ad Att. XIII 8: *epitomen Bruti Caelianorum velim mihi mittas].*

Deinde M. Terentius Varro libros XXV, quos de lingua Latina scripserat, ipse redegit ad IX, ternos libros in singulos contrahens libro primo servato.[1]) Sed nescio an priorem quoque librorum distinctionem servaverit eo magis, quod dedita cura *epitomen de lingua Latina ex libris viginti quinque* libros illos novem inscripsit. Nemo enim fere in numeratione librorum suorum maiorem curam collocavit quam hic grammaticus. Simili ratione confecit epitomen ex libris Imaginum XV libris IV et epitomen ex libris XLI Antiquitatum libris IX [cf. indicem operum, Ritschl, Opuscula IV p. 419 sq.].

Annalium Fenestellae breviarium exstitisse testatur Diomedes [Gramm. Lat. ed. Keil I 365. 7: *apud Fenestellam in libro epitomarum secundo*]. Quod hoc loco Diomedes epitomarum libros plurali numero commemorat, hac re demonstrari videtur singulos libros voce epitomae inscriptos esse. Sic etiam scribit Columella de re rust. I. 1. 10: *Diophanes Bithynius Uticensis totum Dionysium Poeni Magonis interpretem per multa volumina diffusum sex epitomis circumscripsit.* cf. p. 22 apud Galenum ἡ δὲ τρίτη τῶν ἐπιτομῶν etc.

M. Antistii Labeonis librorum, qui Posteriores inscribebantur, breviaria duo a Javoleno Prisco facta commemorantur in Digestis Justiniani alterum usque ad librum VI, alterum usque ad librum X, item commemorantur duae epitomae Digestorum, quae Alfenus Varus libris XL scripserat, altera usque ad librum VII, altera ab Julio Paulo confecta ad librum VIII [cf. Jörs in Pauly-Wissowa R. E. I 2553 s. v. Antistius et p. 1474 s. v. Alfenus].

Denique hoc loco affero Pontium Paulinum,

[1]) cf. Woelfflin l. c. p. 335.

qui trium Suetonii de regibus librorum confecit epitomen versibus conscriptam [Ausonius epist. 19: *his litteris . . . poema subdideras, quo de III Suetonii libris, quos ille de regibus dedit, epitomen coegisti . . .*].

Quae omnia breviaria quam rationem in librorum divisione servanda ceterisque in rebus secuta sint, nescimus; sed omnibus fere ex exemplis allatis intellegi potest numerum voluminum deminutum esse. His peractis iam venio ad breviaria de quorum compositione et dispositione plura effici possunt. Non multa quidem sunt, quae vel ipsa nobis traduntur vel ab aliis scriptoribus accuratius describuntur.

De eis vero, quae ad hanc aetatem servata sunt, quaerendum est, quando sint confecta. Neque solum, mediane, quae dicitur, aetate demum conscripta sint, quaeri potest, sed etiam utrum voluminibus chartaceis an codicibus membraneis primum edita sint. Nam cum antiquitate exeunte voluminum chartaceorum in loco codices membranei usu recipi coepti essent, nullius iam momenti erat librorum divisio, quod unum in codicem ea, quae complura volumina olim expleverant, referri potuerunt. Tamen librarii inscriptiones librorum diligenter plerumque servabant atque, cum illa infima aetate libros in brevem formam contraherent, singulorum librorum excerpta suis inscriptionibus ornata atque disposita continuo ordine in codices referre solebant.

Voluminum quidem numerum semper fere deminutum esse dixi. Sed tamen fieri potuit, ut antiquam librorum divisionem epitomae servarent. Nam quamquam singuli libri singulis voluminibus comprehendi solebant, tamen in singulis etiam voluminibus, quae contextum verborum complurium librorum continebant, hunc contextum ipsis librorum inscriptionibus servatis discribi potuisse demonstrant chartaceorum voluminum fragmenta tria nuper inventa, e quibus, cum sint testimonia gravissima, proficiscamur.

Primum est fragmentum, quod T. Livii epitoma esse dicitur [Oxyrh. pap. ed. Grenfell et Hunt vol. IV p. 90 n. 668] tertio, ut videtur, p. Chr. n. saeculo conscriptum. Continet autem librorum complurium excerpta, quae inscriptione *lib. XXXVIII* ceterisque eiusdem generis curiose servatis per libros quasi per capita distribuuntur. Singulorum vero ibi librorum excerpta amplitudine multum inter se differunt. Libri enim undequadragesimi excerpta versus XXXV, libri quinquagesimi primi versus non plus XIII complectuntur.

Deinde affero epitomae Hermippi, quam confecit Heraclides Lembus, fragmenta [Oxyrh. Pap. vol. XI p. 116 n. 1366]. Cuius exstant inscriptio Ἡρακλείδου τοῦ Σαραπίωνος ἐπιτομὴ τῶν Ἑρμίππου περὶ νομοθετῶν καὶ ἑπτὰ σοφῶν καὶ Πυθαγόρου et librorum περὶ νομοθετῶν primi et alterius particulae littera β disiunctae. Servavit igitur Heraclides priorem librorum divisionem, quamquam uno volumine decem Hermippi libros — nam tot ille de his rebus ediderat — hac ratione circumscripsit.

Tum exemplo est Vergilii Aeneidis paraphrasis Graeca quinto saeculo conscripta [Oxyrh. pap. vol. VIII p. 160 n. 1099]. Cuius reliquiae ad duos Aeneidis libros pertinent, qui separantur inscriptione *explicit lib. incipit lib. V*. Quibus observatis intellegi potest breviaria quoque uno in volumine conscripta complurium librorum inscriptionibus discribi potuisse.

Circumspiciendae ergo sunt reliquae epitomae, de quibus certiores facti sumus, et primum quidem eas proponam, quae inscriptiones librorum servaverunt vel certe, quas illas servasse verisimile est.

Dionysius Halicarnassensis ea, quae libris XX, qui Ῥωμαϊκὴ ἀρχαιολογία inscripti sunt, exposuerat, ipse breviter in V volumina contulit. [Photius cod. 84: Ἀνεγνώσθη τοῦ αὐτοῦ (Διονυσίου) σύνοψις τῶν τῆς ἱστορίας κ' βιβλίων ἐν ε' βιβλίοις]. Atqui epitomae Dionysii Stephanus Byzantius bis commemorat librum sextum [s. v. Ἀρίκεια, Κορίολλα].

Sed inveniuntur verba illa, quae profert Stephanus, etiam in libro sexto operis Dionysii integri. Sequitur ut quaeramus, num epitoma haec, quam Stephanus affert, eadem fuerit atque epitoma illa, quam ipse Dionysius confecit. Quod incertum esse dicit Radermacher [Pauly-Wissowa R. E. V 961], sed id fieri posse prudenter concedit Christ, qui scribit in historia litterarum Graecarum [II^5 p. 363]: *Dionysius selbst hat aus seinem Werk einen Auszug in 5 Büchern gemacht, vielleicht identisch mit dem von Steph. Byz. s.* Ἀρίκεια, Κορίολλα *zitierten.*

Quod si probaveris, Dionysii epitoma, quamquam V voluminibus comprehendebatur, librorum XX inscriptiones itaque antiquam librorum divisionem servavit. Certe causa nulla allata est, qua id fieri non potuisse indicetur. Nam si in epitoma librorum numeri pristini servabantur, librum sextum ex epitoma recte attulit Stephanus.

Sed licet hoc incertum relinquamus, contra non est dubium, quin G a l e n u s, qui M a r i n i et L y c i librorum epitomas confecit, antiquam librorum divisionem servaverit. Quamquam enim Marini libros XX circumscripsit libris IV et Lyci libros libris II, tamen priorem librorum divisionem eum retinuisse aperte intellegi potest ex verbis Galeni ipsius, quae exstant in libro, qui inscribitur Περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων [Scripta min. ed Müller II p. 104]: Ἄλλα χρήσιμα καὶ ταυτὶ γέγραπται· τῶν Μαρίνου βιβλίων ἀνατομικῶν εἴκοσιν ὄντων ἐν τέτταρσιν ἡμετέροις ἐπιτομή, καθάπερ καὶ τῶν Λύκου πάντων ἐν δυοῖν. ὑπογράψω δ᾿ αὐτῶν ἑκάστου τὰ κεφάλαια. κατὰ τὴν πρώτην ἐπιτομὴν τῶν τοῦ Μαρίνου βιβλίων ἀνατομικῶν ἓξ [αὐτοῦ] τὰ πρῶτα περιέχεται. γράφει δ᾿ἐν μὲν τῷ πρώτῳ τῶν ἓξ τὸ προοίμιον τῆς ὅλης θεωρίας . . . . . ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ τῶν ἡμετέρων ὑπομνημάτων, <ἐν οἷς> ἡ τῆς ἀνατομικῆς Μαρίνου θεωρίας ἐστὶν ἐπιτομή, τὸ ἕβδομον καὶ ὄγδοον καὶ ἔνατον καὶ δέκατον περιέχεται τῶν Μαρίνου βιβλίων. κεφάλαια δὲ κατὰ μὲν τὸ ἕβδομόν ἐστι περὶ . . . .

ἡ δὲ τρίτη τῶν ἐπιτομῶν <τὸ> ἑνδέκατόν τε καὶ δωδέ-

κατον καὶ τρισκαιδέκατον καὶ τεσσαρεσκαιδέκατον καὶ πεντεκαιδέκατον τῶν τοῦ Μαρίνου βιβλίων ἐστίν. ἔγραφε δὲ ἐν μὲν τῷ ἑνδεκάτῳ . . .

ἡ δὲ τετάρτη τῶν ἐπιτομῶν καταγίγνεται περὶ τὰ λοιπὰ τοῦ Μαρίνου πέντε βιβλία μετὰ τὸ πεντεκαιδέκατον, <τὸ ἑκκαιδέκατον> ἄχρι τοῦ εἰκοστοῦ περιέχουσα. γέγραπται δὲ ἐν τῷ ἑκκαιδεκάτῳ . . . . . [intercidit finis descriptionis excerptorum Marini et summarium totum excerptorum e Lyci anotomicis, cum desint XL versus codicis].

Singula igitur epitomae volumina complurium Marini librorum excerpta et primum quidem VI, secundum IV, tertium et quartum quinos libros continebant et eos quidem sive ipsis librorum inscriptionibus servatis sive alia ratione disiunctos.

Sopatrum Apamensem, qui fuit quarto p. Chr. n. saeculo,[1]) plurimorum librorum epitomas scripsisse tradit Suidas [s. v. Σώπατρος Ἀπαμεύς· Ἐπιτομὰς πλείστων καὶ τὴν ἐκλογὴν τῶν ἱστοριῶν τούτου εἶναί φασι]. Quem libros XII, qui inscribebantur Ἐκλογαὶ διάφοροι, confecisse dicit Photius [cod. 161], qui etiam singulorum librorum argumenta exponit. Inde cognosci potest Sopatrum permultos libros excerpsisse ita vero, ut singulorum librorum excerpta discerneret simili ratione ac Photius ipse antiquorum libros excerpsit. Quod apparet ex Photii verbis:

ὁ δὲ τρίτος λόγος (τοῦ Σωπάτρου) συλλέγεται αὐτῷ ἐκ τῆς Φαβωρίνου παντοδαπῆς ὕλης ἔκ τε τοῦ ν καὶ τοῦ ξ καὶ καθεξῆς πλὴν τοῦ τ μέχρι τοῦ ω ceterisque similibus.

Epiphanii episcopi traduntur et opus diffusum, quod Πανάριον inscribitur et eiusdem operis Ἀνακεφαλαίωσις [Epiphanii opera ed. Dindorf I p. 227 sqq]. Quam nihil fere continere nisi argumentorum adumbrationes, quas ipse Epiphanius libris suis plenioribus praemisit, demonstravit Carolus Holl [K. Holl, Die handschr. Ueberlieferung des Epiphanius. Texte und Unters. 36. 2]. Quid vero singulis libris operis integri expositum sit, hac ratione in contextu verborum adnotatum est:

[1]) cf. Christ. Griech. Literaturgesch. II 2 [5] p. 890.

. . . . αὕτη ἡ τοῦ δευτέρου τόμου τοῦ πρώτου βιβλίου τῶν δεκατριῶν αἱρέσεων ἀνακεφαλαίωσις. Ἐν δὲ τῷ τρίτῳ τόμῳ τοῦ αὐτοῦ πρώτου βιβλίου εἰσὶν ἕτεραι αἱρέσεις δεκατρεῖς αὗται . . . .

Quarto vel quinto p. Chr. n. saeculo Marcianus Heracleensis librorum XI Geographiae Artemidori Ephesii epitomen confecit servata librorum XI divisione, ut ipse testatur in epitoma Peripli Menippei [Marcianus, Geogr. Graeci Min. ed. Müller I p. 507]: Ἐγὼ τοίνυν . . . ἐπιτομὴν τῶν ἕνδεκα βιβλίων τοῦ μνημονευθέντος (Ἀρτεμιδώρου) ἐποιησάμην προσθεὶς καὶ ἐξ ἑτέρων παλαιῶν τὰ ἐλλείποντα καὶ τὴν διαίρεσιν τῶν ια΄ βιβλίων φυλάξας. Idem etiam in epitoma Menippi divisionem trium librorum servavisse videtur [l. c. p. 563 Adn.], sed cum nihil nisi prooemium et libri primi fragmenta nobis tradita sint, plane de hac re nihil cognosci potest. Nec magis constat, utrum unum in volumen an in complura epitomas rettulerit, denique etiam hoc in ambiguo est, num codice iam usus sit Marcianus.

Quod etiam quaerendum est de ceteris huius infimae aetatis epitomis, ut de Arcadii, quae vocatur, epitoma librorum Herodiani XX, qua antiqua librorum divisio servata est.

Restat ut Athenaei Dipnosophistas commemorem. Quorum exstat epitoma in libros XV discripta, quam media, quae dicitur, aetate factam esse verisimile est [cf. Kaibel in editionis praef. p. XV: *epitomator ille saeculi fere XI*]. Sed ne XV quidem illi libri, qui ut Athenaei ipsius opus nobis traduntur, integri sunt. Qua de re in editionis praefatione Kaibel haec fere verba facit [I p. XXV sqq]:

(*Dipnosophistarum libri*) *plures* (*quam XV*) *aliquando fuisse certis testimoniis constat. In margine enim libri Marciani uncialibus, quae dicuntur, litteris lemmata adscripta sunt, ... in his etiam antiquioris cuiusdam librorum divisionis indicia exstant [velut ad l. III. cap. 50:* τῶν εἰς λ΄ τέλος τοῦ ε΄, ἀρχὴ τοῦ ϛ΄.*] . . . Coniecerat Schweighaeuserus duplicem editionem ipsum parasse Athenaeum priorem XXX alteram XV librorum. Sed sive formam tantummodo operis*

mutatam putas, male profecto bibliopolae commodo consuluisset scriptor — nam commodius venibant breviora quam ampliora volumina — sive ad Varronianarum Imaginum exemplum contractum statuis opus nimis copiosum quam ut vulgo placeret, certe Athenaeus ipse, qui non minus artificiosa dialogi specie quam furtiva argumentorum copia gloriabatur, non is erat, qui ut aliis placeret omnem inventionis suae laudem in discrimen vocaret.

Qua de re Kaibel postquam accuratius disseruit, dicit haec [p. 27]:

Ergo Athenaei opus non integrum nobis superest sed epitomatoris opera decurtatum, quem si eundem fuisse putamus, qui ex XXX libros XV fecit, ex dimidia fere parte opus imminutum esse colligitur. Constat ex codicis lemmatis primos VII libros ex duplici XIV numero contractos esse, sed mutata ratione octavus liber ex uno decimo quinto, nonus ex uno decimo sexto factus est. Itaque qui reliqui sunt libri VI olim fuerunt XIV [l. XVII—XXX], fecit igitur epitomator, quod id genus hominum facere assolent, properabat ad finem indeque explicatur, quod extremi libri XIV et XV multo violentius reliquis mutilati sunt. Athenaeus sine dubio singulis libris et prooemia praefixit et epilogos subiecit, quae quidem epitomator, ut sua ratio constaret, servare non potuit, nisi ubi et ipse novum librum inciperet eqs.

[p. 38:] Epitoma, quo tempore facta sit, satis accurate definiri potest. Macrobium enim quoniam vidimus XXX Athenaei libris integris usum esse, probabile est epitoma illum uti nondum potuisse; quod si probaveris, saeculo quinto ineunte epitoma recentior est. Quae vero in Stephani Ethnicis ex Dipnosophistis exscripta habentur, artissime redeunt ad eos, qui in libro Marciano sunt, libros XV. Hinc Macrobii inter et Stephani vel Hermolai aetatem epitomen factam esse efficeretur, nisi dubitari posset, num ipse Stephanus vel Hermolaus Athenaei testimonia addiderit. . . . Itaque si credimus ipsum Stephanum vel Hermo-

laum Athenaei testimonia Ethnicis inseruisse, sexto, sin vero negamus, sexto vel septimo saeculo epitoma tribuenda est.

Haec fere de epitoma exposuit Kaibel. Sed quaerendum est, utrum in codices an in volumina chartacea a primis relata sit. Quod quidem librorum numerus deminutus est, haud scio an inde iure concludi possit epitomatorem etiam tum voluminibus usum esse. Nam omnia fere eius generis exempla, quae attuli, ad rotulorum papyraceorum usum pertinent, idemque res ipsa suadet; nam si codicibus usus esset Athenaei epitomator, omnium librorum argumenta, quamquam amplitudine inaequalia essent, continuo ordine suis inscriptionibus, prooemiis, epilogis ornata in codicem referre potuisset nec oportebat ex binorum vel ternorum librorum excerptis unum novum librum facere. De aetate vero, qua volumine chartaceo neglecto codex membraneus usu receptus sit, Theodorus Birt in libro, qui inscribitur Kritik und Hermeneutik [p. 362] censet haec: *Nicht das 4. sondern das 5. Jahrhundert hat als die Epoche zu gelten, in der das Papyrusbuchwesen wirklich einging.*

Est igitur fere necesse Athenaei epitomam illam in chartaceis voluminibus editam esse idque factum est certe non post quintum saeculum. Quin etiam ante saeculum quintum scripta esse potest epitoma nimirum, si etiam postea quam ipsa confecta sit, libros Athenaei integros aliquamdiu in manibus mansisse concedimus, ita ut Macrobius his uti posset. Quod si factum est, librorum XXX divisionem etiam in voluminibus illis XV adnotatam esse putare nobis licet. Sed cum duae hac ratione divisiones factae essent, librarius ille, qui in codices opus rettulit, alterius nihil nisi vestigia servavit. Quod similibus in rebus saepe accidisse verisimile est.

Haec habui Graeca exempla, quae afferrem. Neque vero desunt epitomae, quae librorum divisionem servant sed quas media demum aetate factas esse viri docti censent, velut epitomen Flavii Josephi nono vel decimo saeculo,

Strabonis Geographicorum decimo, Cassii Dionis undecimo.

Latinas vero epitomas, quae huc spectant, respicientibus primum memoranda sunt, quae supra de M. Terentii Varronis epitoma ex libris de lingua Latina XXV facta diximus [cf. p. 18]: verisimile esse in epitoma illa IX librorum antiquam librorum XXV divisionem servatam esse.

Deinde T. Livii librorum breviaria accuratius tractanda sunt. Ea enim, quae T. Livius permultis libris explanaverat, mox in angustum coacta esse non est mirum. Traditae vero nobis sunt et epitomae illius reliquiae chartaceae, quas iam supra descripsimus [cf. p. 20], et periochae quae dicuntur Livianae. Quae omnium librorum CXLII exceptis libris CXXXVI et CXXXVII argumenta breviter exponunt nec amplitudine aequales sunt; nam brevissimus liber (l. CXXXVIII) ibi non plus II versus, maximus autem (l. XLVIII) versus circiter LXX editionis Teubnerianae complectitur. Ceterum unum volumen idque librorum inscriptionibus discriptum periochas olim explevisse ex amplitudine earum concludi potest, quae fere unum volumen explet. Utriusque vero breviarii auctorem non minus quam alios, qui Livium imitati sunt, scriptores non libris Livianis integris usos esse certis de causis affirmant plerique viri docti [cf. Schanz, Röm. Literaturgesch. II 1 (1911³) p. 425]. Et altera ex parte periocharum auctorem, Florum, Orosium, Victorem usos esse contendunt Epitoma Liviana, quam vocant, deperdita, altera ex parte epitomae eius, cuius exstant fragmenta chartacea, auctorem, Julium Obsequentem, Eutropium, Festum, Hieronymum, Cassiodorum breviario quodam, quod chronicon vocant. Utroque autem in breviario Livianorum librorum divisionem librorumque inscriptiones servatas et adnotatas fuisse consentaneum est, cum etiam in epitoma et in periochis, quas ex illis excerptas esse censent, hodie quoque exstent.

Quod fieri posse negat Alfredus Klotz, qui in commentariolo, quem de epitoma Liviana scripsit [Die Epitoma des

Livius. Hermes 1913 p. 544], numerum librorum in epitomis semper deminutum esse illamque deminutionem epitomae propriam esse censet. Sed licet voluminum numerus deminutus sit, tamen in singulis voluminibus complures libros inscriptionibus discribi potuisse vir doctissimus omnino non commemorat. Periochas vero Livianas idem nihil nisi summaria vel indices librorum contendit esse, quae unum in locum collecta et a T. Livii libris separata neque adeo integra nobis tradita sint. Quae sententia mihi quidem vera non videtur esse; sed liceat mihi hanc quaestionem infra planius tractare.

Utcumque autem haec res se habet, T. Livii libros mox in angustum coactos esse constat. [1]) Apparet autem eius modi breviarium spectare etiam Martialem, qui scribit [lib. epigr. XIV 190]:

T. Livius in membranis.
Pellibus exiguis artatur Livius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit.

Breviarium vero illud iam in codicillis membraneis conscriptum erat, qui tum primum usu recipi coepti sunt [cf. Th. Birt, Kritik und Hermeneutik p. 345], quos codicillos Martialis XIV 184 et 7 „pugillares" vocat; Sed parvi modo fuerunt nec certe plures versus continebant quam volumen unum; scilicet in Corp. gloss. lat. V 326, 3 pugillares esse dicuntur tabulae infantum.[2])

Idem Martialis Ovidii quoque breviarium significare videtur his verbis [XIV 192]:

Ovidii Metamorphoses in membranis.
Haec tibi multiplici quae structa est massa tabella,
Carmina Nasonis quinque decemque gerit.

Inde quod Martialis expressis verbis numerum ponit commemorans libros XV esse, qui breviario contineantur, concludendum esse putat Birt [l. c. p. 376] singulorum librorum excerpta in hoc breviario suis inscriptionibus discripta esse.

---

[1]) cf. Peter, Die geschichtl. Literatur der Röm. Kaiserzeit II. p. 341 sqq.

[2]) cf. Birt, Berl. phil. W. S. a. 1918 p. 188.

Cuius breviarii vestigia non iam apparent, sed traduntur nobis argumenta et explanationes librorum Metamorphoseon prosa oratione factae, quae vocantur Lactantii Placidi narrationes fabularum. Quae in altera classe codicum manu scriptorum coniunctae cum singulis libris Ovidianis, in altera autem in locum separatum collectae propagatae sunt [cf. H. Magnus in edit. Metamorphoseon a. 1914 p. 627]. Quando quidem illae factae sint, adhuc nescimus, sed media quae vocatur aetate videntur esse conscriptae.

Eodem loco, quo T. Livium et P. Ovidium commemorat Martialis, etiam Vergilii Homerique mentionem facit his verbis [XIV 184 et 186]:

Homerus in pugillaribus membraneis.
Ilias et Priami regnis inimicus Ulixes
Multiplici pariter condita pelle latent.
Vergilius in membranis.
Quam brevis immensum cepit membrana Maronem!
Ipsius et vultus prima tabella gerit.

Haec quoque verba breviaria spectare verisimile est [cf. Birt l. c. p. 353 et 373 sq]. Quod vero ad Vergilium attinet, Theodorus Birt putat Martialem fortasse spectare argumenta quaedam Vergiliana, qualia sub Ovidii nomine nobis traduntur. Quae argumenta nihil nisi indices librorum Aeneidis volunt esse, sed illa quoque totum Vergilium se complecti gloriantur [Poetae Lat. min. ed. Baehrens IV p. 162]:

Argumenta quidem librorum priva notavi,
Errorem ignarus ne quis habere queat,
Bis quinos fecique omni de carmine versus,
Aeneidis totum corpus ut esse putent.

Quod carmen CXXX versuum in brevi illa membrana, quam Martialis dicit, facile conscribi potuisse sane concedendum est et, qui eam manibus tenuit, habuit ille re vera *immensum Maronem* sive *Aeneidis totum corpus*.

Contra Homeri Iliadis et Odyssiae breviaria ampliora fuisse inde concludi fortasse potest, quod multiplici pelle condita a Martiale vocantur. Graece scripta ea esse Martialis

non dicit; fuerunt igitur fortasse haec scripta latina; itaque nescio, num Iliadis breviarium, de quo Martialis verba facit, ad hanc ipsam aetatem servatum sit.

Neronis enim, ut videtur, aetate Iliadis epitomen conscripsit sermone Latino poeta quidam ignotus. Qui cum initio Homerum todidem fere verbis transferre coepisset, ad extremum carminis argumenta adeo contraxit in brevem formam, ut Iliadis libri omnes XXIV uno volumine mille septuaginta versuum comprehenderentur.

Jam vero carmen illud in omnibus codicibus manu scriptis, quibus traditum est, in XXIV libros appositis inscriptionibus plane discriptum est neque quisquam adhuc dubitavit, quin haec divisio genuina et a scriptore ipso profecta esset; scilicet optime convenit cum omnibus exemplis, quae adhuc contuli. Primus nuper Fridericus Vollmer, qui post Aemilium Baehrens poetas Latinos minores iterum recensuit et Homerum Latinum, quem dicit esse Baebii Italici Iliadem Latinam, edidit [Poetae Lat. min. vol. II. fasc. 3 a. 1913], distinctionem illam delendam esse judicavit. Quam ad sententiam probandam in editionis praefatione dicit haec:

Quod in illis [scil. codicibus] carmen mille fere versuum in XXIV libros discriptum legitur, tantum abest, ut ipsum Italicum hoc praecepisse credam, ut exeunte imperio Romano, tum cum in Italia adhuc evolvebantur libri Graeci iam magistellum aliquem epitomen in usum scholarum redegisse inde concludam. Ideo in apparatum non recepi codicum de librorum finibus et initiis adnotationes nedum errores hoc in loco a singulis commissos.

Planius de hac re disputat in Sitzungs-Berichte der Muenchener Akademie [I. Kl. a. 1913 Abt. 3] ibique haec fere verba facit:

Non esse dubitandum, quin ipse scriptor libellum suum librorum Homeri inscriptionibus non instruxerit. Nam si consideremus, quantopere inde a libro IX contraxerit narrationem, ut libri Iliadis XIII versibus 837 versus VII,

libris XVII et XIX versus non plus III conveniant, — deinde si consideremus, quotiens poeta et sciens et insciens cum Homero dissentiat, facillime nos intellegere posse nihil Italici interfuisse carmen suum inscriptionibus librorum Homeri XXIV discribere. Neque enim epitomen Homeri eum conficere voluisse sed poema per se absolutum perfectumque. Sed cum dubitari non possit, quin unus ille codex antiquus, cui debeamus libellum, librorum numeris distinctus olim sit, iis temporibus se putare illos adiectos esse, quibus in Italia adhuc evolutus sit Homerus Graecus, quibus etiam in scholas migraverit Homerus Latinus.

Quod autem libri VII inscriptio falso loco post versum 564 posita legitur, cum versus demum 575 initio libri Iliadis VII conveniat et sermo Hectoris et Andromachae in libro VI narretur, hac re sententiam probari dicit, qua librorum divisionem ad ipsum poetam redire non posse putat: grammaticum, qui exeunte antiquitate fuerit, facilius peccare potuisse, quam ipsum scriptorem. Ex divisione vero, quae post versum 895 persaepe inepto falsoque loco posita est, facile intellegi posse non singulorum librorum summaria sed absolutam continuamque narrationem poetam conficere voluisse *[keine Summaria der einzelnen Bücher . . ., sondern fortlaufende und darum bei dieser Art der Kürzung notwendigerweise freie Erzählung]*.

Haec fere de Homero Latino in libros XXIV non dividendo dicit Vollmer. Tamen inscriptiones non esse delendas censet Birt in libro, quem scripsit de arte critica et interpretandi [Kritik u. Hermen. p. 376]. Quam ad sententiam accedendum esse ego quoque puto.

Primum enim carmen illud ab initio statim in usum scholarum conscriptum esse verisimile est [cf. L. Mueller, Philologi t. XV p. 481]. Neque quod Vollmer dicit poetam Homeri epitomen conficere noluisse probandum est.

Nihil enim refert carmen in codicibus *librum Homeri* vel *Homerum* inscribi, cum hae inscriptiones, ut Pindari Thebani nomen praetermittam, non sint genuinae. Carmen

enim vix emissum statim per scholas multifariam corruptum memoriae traditum est et inscriptio et nomen poetae brevi tempore oblitterabantur. Itaque diiudicare non possumus, utrum librorum Homeri XXIV epitomen carmen suum inscripserit poeta necne.

Sed quamquam XXIV inscriptionibus discriptum erat carmen, tamen cum uno volumine contineretur, *librum Homeri* inscribi potuisse concedendum, immo perspicuum est. Sic Prologi quoque ad Pompeium Trogum, qui vocantur, quamquam librorum XLIV omnium indices salvos exhibent, tamen in codicibus manu scriptis inscribuntur *liber historiarum Philippicarum*. Omnium enim librorum argumentis unum in locum collectis unus historiarum liber factus est.

Summaria quidem singulorum Iliadis librorum poetam conficere noluisse consentaneum est, sed se Homerum et imitatum esse et in angustum coegisse ipse concedit ultimis carminis versibus. Sunt autem versus hi:

Sed iam siste gradum finemque impone labori,
Calliope, vatisque tui moderare carinam,
Quem cernis paucis stringentem litora remis.
Iamque tenet portum metamque potentis Homeri.

His verbis, quibus se ad metam sive ad finem iam Homeri pervenisse fatetur, Homerum se imitatum esse neque carmen per se absolutum sed brevem tractationem alieni operis confecisse aperte profitetur poeta; quod enim paucos remos dicit, quibus iam litus stringat, eo indicat paucissimis versibus se usum esse, ut Iliadis extremam partem absolveret.

Neque quod summaria singulorum librorum Iliadis conficere noluit, idcirco eorum divisionem omnino neglegere. opus erat. Inter omnes enim constabat, quot in libros Ilias divisa esset et quid quoque in libro Homerus narraret. Utile ergo erat librorum divisionem servare, praesertim cum alia ratione contextus rerum non esset dispositus.

Quod autem ad errores sive ad inscriptiones inepto

loco positas attinet, si aut poeta ipse aut, quem Vollmer auctorem esse dicit, grammaticus aetate posterior peccata, quae admisit ipse, non emendavisset, mirum esset. Iis enim certe temporibus librorum divisionem factam esse consentaneum est, quibus Homerus Graecus adhuc in manibus hominum erat; itaque error in aperto iacebat. Iam vero errores illos cur non a librariis demum posterioribus commissos esse statuamus? Fieri enim potest, ut in archetypo initia librorum non in ipso contextu carminis totis librorum inscriptionibus interpositis significata sint, sed in margine tantum positis inscriptionibus vel adeo meris numeris. Id quod saepius accidisse constat. Sic in codice Propertii Vossiano initium libri secundi non nisi inscriptione *incip'. lib' scd' ad mecenatem* rubro in margine collocata significatur [Prop. cod. Guelf. Gud. 224 phototyp. ed Th. Birt 1911 p. X Adn. 2]. Sic etiam in Ovidii Nasonis, quae dicuntur, ad Vergilii Aeneidem epigrammatis libri primi initium inscriptione *liber I* in textu et iterum I in margine, ceterorum initia tantummodo numeris in margine positis adnotantur [Poetae Lat. min. ed. Baehrens IV p. 162]. Supra pag. 23 docui in ipso margine codicis Marciani Athenaei adscriptos esse numeros plenioris operis pristini illius, cuius epitomen habemus. Quin etiam in codice Erfurtano Amplon. n. 20 Iliadis Latinae singuli libri inscriptione *lib. II* rubro in margine posita ceterisque eiusdem generis separantur [cf. Poetae lat. min. ed. Baehrens III p. 12 adnot. ad v. 110]. Iam vero quam facile fieri potuit, ut tales numeri marginales in falsum locum aberrarent vel falso versui adscriberentur. Conferantur denique apud Lucretium capitum inscriptiones, de quibus Lachmann [Lucr. p. 427] dicit verisimile esse eas in archetypo in margine scriptas esse, unde factum est, ut postmodo in falsum locum migrarent [cf. Birt, Berliner philol. Wochenschrift a. 1919 p. 719]. Quod idem interdum etiam in Homero Latino factum est.[1])

[1]) cf. etiam numeros in margine Anthologiae Latinae scriptos (ed. Riese I. p. XX et Baehrens, Poetae Lat. min. IV. p. VIII).

Nolo urguere quod constat ne immota quidem fuisse antiquis temporibus Homeri librorum XXIV initia. Quod demonstrari video nonnullis voluminum chartaceorum fragmentis. Quorum in uno [Pap. Genov. Fgm. VI. cf. Haeberlin, Griech. Papyri 1897 n. 18] libri Iliadis XI finem libri XII primi versus nullo signo vel spatio disiuncti sequuntur. Similiter in alio fragmento [Hibeh-Papyri p. 100] libri XXII finis et XXIII initium continua scriptura conscripta sunt. Qua ex re efficitur variatum esse in librorum finibus constituendis, cum singuli libri singulis voluminibus contineri solerent.

Quod vero Iliadis epitomae auctor Latinus studio minime aequabili alia neglexit alia assumpsit ex Graeco carmine et quo magis ad finem opus declinavit eo magis festinavit, ne hac quidem ex re concludi potest divisionem librorum delendam esse. Quod probatur multis aliarum epitomarum exemplis, in quibus libros singulos cum cura distinctos non minus ambitu inaequales videmus esse.

Nihil ergo causae est, cur in Homero illo Latino librorum XXIV inscriptiones deleamus, quae omnibus codicibus servatae sunt.

Comparari denique possunt cum Iliade Latina incerti poetae periochae Homeri Iliadis et Odyssiae, quae traduntur sub Ausonii nomine et ipsae quoque divisionem librorum servant. Ibi singulorum librorum versus initiales interpres Latinus Latina lingua ad verbum exprimit, ceterum argumenta eorum prosa oratione breviter enarrat. Libri vero XLVIII amplitudine inaequales illis ipsis versibus, quos dici, accurate disiunguntur, quamquam omnes olim uno volumine comprehensi videntur esse, quippe cuius modum non excedant.

Eadem fere aetate, qua Ilias Latina confecta est, P. Rutilius Lupus libros Gorgiae de figuris sentiendi et dicendi IV sermone Latino in brevem formam coegit [cf. Schanz, l. c. II 2 (a. 1913[3]) p. 449]. Cuius versionis traditi nobis sunt II libri, qui inscribuntur in codicibus

manu scriptis *Schemata dianoeas ex Graeco vorsa Gorgia.* Sed ambos illos libros, quales exstant, unum volumen non explevisse monet Th. Birt [Antikes Buchwesen p. 384], qui nihil nisi excerpta ex integris libris facta nobis tradita esse censuit, praesertim cum liber II inscribatur *de libro secundo.* Contra Schanz [l. c. p. 449] et Muenscher [Pauly-Wissowa R E VII 1605 s. v. Gorgias] demonstrare conantur libros Rutilii II, qui ad hanc aetatem servati sunt, omnibus partibus integros esse. Sed quoniam Quintilianus [inst. or. IX 2. 102] Rutilium non solum schemata dianoeas sed etiam schemata lexeos exposuisse tradidit, et Schanz et Muenscher non nisi dimidiam operis partem, quod IV libros olim complexum esset, nobis servatam esse censuerunt. Cui opinioni, qua Rutilium librorum Gorgiae IV divisionem servavisse putant, impugnare videtur, quod refert Quintilianus: *cuius* (*scil. Gorgiae*) *quattuor libros in unum suum transtulit* (*Rutilius*). Mutaverunt igitur viri docti hunc locum et scripserunt *in usum suum*, cum etiam illud *transtulit in unum suum* aptum non esset, quo abbreviatio operis significaretur. Sed cur non licet coniectare Rutilium epitomatorem, quamquam ipsam Gorgiae librorum IV divisionem servaverit, tamen librum unum confecisse, ita scilicet, ut textum in uno volumine suo servatis librorum IV inscriptionibus discriberet? Libros enim, quales nobis traduntur, unum volumen non explevisse iam supra commemoravimus. Quod si conceditur, haud scio an rectissime scripserit Quintilianus Rutilium quattuor Gorgiae libros in unum suum transtulisse. Quod scilicet ita dictum est ut apud Ciceronem legimus *verba in tabulas transferre* (*abschreiben)* et apud Phaedrum *in chartas suas transferre* (cf. Georges, Latein.-deutsches Handwörterbuch s. v. transferre).

Deinde quod imperator M. Aurelius ad Frontonem scribit [Fronto ad M. Caesarem II 10]: *Feci per hos dies excerpta ex libris sexaginta in quinque tomis: sed cum leges LX, inibi sunt et Novianae et Atellaniolae et Scipionis*

oratiunculae: ne tu numerum nimis expavescas, etiam in V illis voluminibus libros LX sive adhibitis librorum inscriptionibus sive alia ratione ab Aurelio discretos esse consentaneum est.

Denique accuratius disserendum est de Justini epitoma Historiarum Philippicarum Pompei Trogi. Justinus enim XLIV Pompei Trogi librorum divisionem diligenter servavit excerptaque singulorum librorum inscriptionibus disiunxit, quamquam multum inter se amplitudine differunt. Nam cum libri quadragesimi excerpta versibus XXX editionis Teubnerianae contineantur, liber secundus versus circiter sescentos nonaginta complectitur.

Concedendum sane est fieri non potuisse, ut uno volumine chartaceo tota Justini epitoma contineretur; unde Justinum non nisi in codices membraneos libros suos rettulisse concludendum esse iudicavit Klotz [l. c. Hermes 1913 p. 547]. Sed alia ratio explicandi aperta est; potest enim a Justino servata illa librorum XLIV divisione simul in complura volumina papyracea discripta olim esse epitoma, quemadmodum Galenum quoque Marini libros XX ad IV volumina ita reduxisse vidimus, ut simul librorum XX numeros conservaret. Quod proposuit Theodorus Birt [Antikes Buchwesen p. 385], qui IV fortasse volumina epitomen olim explevisse censet. Quam divisionem postea facile omitti posse consentaneum est, quod, ubi in codices Justinus transferebatur, nullius iam momenti erat illa voluminum IV divisio, quoniam simul opus librorum XLIV inscriptionibus discriptum erat. Comparari ergo potest cum Justino Athenaei epitoma, quamquam in illa non recentior librorum XV, sed antiqua librorum XXX divisio tota paene deleta est. Apud Justinum vero ne vestigia quidem alterius divisionis exstant.

Ceterum nulla re demonstrari aut commendari potest Justinum codicibus usum esse. Initio enim quarti p. Chr. n. saeculi Klotz eum adtribuit [l. c. p. 547: *jedenfalls gehört Justin spätestens in die Zeit Donats*] ea praesertim de

causa, quod eum codicibus usum esse putat. Sed praeterquam quod ceteri viri docti secundo vel tertio saeculo Justinum adscribunt [cf. Schanz l. c. II_1 (1911[3]) p. 453], etiam saeculo quarto, ut supra iam commemoravimus, volumina chartacea in scriptorum usu regnabant, quin etiam Justinus ipse se Trogi opere in voluminibus conscripto usum esse testatur in praefatione epitomae his verbis:

Horum igitur quattuor et quadraginta voluminum — nam tot idem edidit — . . . . cognitione quaeque dignissima excerpsi et omissis his, quae nec cognoscendi voluptate iucunda nec exemplo erant necessaria, breve veluti florum corpusculum feci.

Quodsi putaremus Justinum Pompei Trogi libros ex voluminibus in codicem abbreviatos transtulisse, mirum esset eum, cum Trogi volumina commemoraret, hanc rei librariae immutationem gravissimam ne obscure quidem in praefatione significare.

Commemorandum deinde est Justinum *florum corpusculum* opus suum vocare. Corporis autem voce complura volumina, quae vel unum opus vel maioris operis partem efficiebant, comprehendi solebant [cf. Birt, Kritik u. Hermeneutik p. 342]. Nihil ergo causae est, cur Justinum voluminibus chartaceis usum esse negemus, si quidem eum ad complura volumina opus suum disposuisse putamus, quae *corpusculum* efficiebant.

Priorem vero illam XLIV librorum divisionem eo magis servavit, quod se in animo habere dicit quasi florilegium Trogi facere neque, cum continua narratione Pompeius res gestas composuisset, alia ratione flores rerum elocutionisque disponere potuit. Qua ratione etiam effecit, ut ei, qui quid quoque in libro Trogi tractatum esset scirent, id in epitoma quoque facile invenire possent.

De aliis quoque aetatis posterioris epitomis simili ratione quaeri potest, utrum in voluminibus chartaceis an in codicibus membraneis conscriptae primum sint editae. Quo in numero sunt Phaedri fabulae [cf. Birt, Antikes

Buchwesen p. 385] et Apulei Florida [cf. Schanz III (1905 [2]) p. 123], quae cum singuli eorum libri voluminis amplitudine minores sint, epitomas librorum integrorum viri docti censent esse. Nihilominus librorum inscriptiones servatae sunt. Idem accidit in epitoma Controversiarum Senecae. Quae omnes eqitomae, cum tertio vel quarto p. Chr. n. saeculo videntur esse conscriptae, fieri potest, ut olim suo tempore in volumina chartacea relatae sint. Quod si verum est, in voluminibus chartaceis complures libri inscriptionibus discripti erant.

Exemplis, quae protuli, satis iam demonstrari puto antiquam librorum divisionem saepe servatam esse. Sed exstant etiam epitomae, quae omnino neglegunt priorem divisionem.

Aristophanis Byzantii traditae nobis sunt in Excerptis Constantini de natura animalium librorum II reliquiae, quae in codicibus inscribuntur Ἀριστοφάνους τῶν Ἀριστοτέλους περὶ ζῴων ἐπιτομή [Excerptorum Constant. de natura anim. l. II ed. Spyr. Lambros, Suppl. Aristot. I 1]. Antiquam vero librorum Aristotelis divisionem servare non potuit Aristophanes ea de causa, quod omnibus ex operibus, quae de natura animalium scripserat Aristoteles, hausit epitomae suae copias [cf. Pauly-Wissowa R. E. II p. 1004]. Tamen hoc loco eum affero, quod saepe vel semper lectores delegat ad Aristotelem ipsum. Sic dicit [in init. l. II]: Ἐν τῇδε τῇ συντάξει τὸν ἀριθμὸν οὔσῃ δευτέρᾳ πειράσομαι προγράφων περὶ οὗ ἐστιν ὁ λόγος ζῴου ὄνομα, προσυποτάσσειν τούτῳ ὅσα τὸ προταχθὲν ζῷον μόρια κέκτηται, εἶτα . . . . κτλ. τούτου δὲ ἐπειράσθην ποιῆσαι, ἵνα μὴ διῃρημένην ἐν πολλοῖς τὴν ὑπὸ Ἀριστοτέλους περὶ ζῴων πραγματείαν ἐπιπορεύῃ, συνηγμένην δὲ ὁμοῦ πᾶσαν τὴν ἐφ' ἑνὶ ἑκάστῳ ζῴῳ ἱστορίαν ἔχῃς. — ὁ μὲν Ἀριστοτέλης χάριν τοῦ μηδὲν παριδεῖν ἐπὶ πολὺ περὶ τούτου ἐν τῷ πρώτῳ τῶν ἱστορίων ἐκλελάληκε. Et it φησί —, οἴεται —, διαπορεῖ Ἀριστοτέλης saepe.

Eadem de causa Ἐγχειρίδιον illud Epicteti, quod operum Epicteti maiorum epitomen esse viri docti censent,

librorum divisionem servare non potuit. Sed Arrianus, qui et illud et opera integra edidit, in eo opera maiora ne commemorat quidem. Scilicet auctori ipsi facile licebat, quod fusius scripserat, breviter retractare opere integro non commemorato.

Hephaestio libros XLVIII, quos de metrorum ratione composuerat, ipse primum ad XI deinde ad tres postremo ad unum librum redegit [Hephaestio ed. Consbruch p. 181, 113 sq.: Πρῶτον ἐποίησε περὶ μέτρων μη΄ βιβλία, εἶθ᾽ ὕστερον ἐπέτεμε αὐτὰ εἰς ἕνδεκα, εἶτα πάλιν εἰς τρία, εἶτα πάλιν εἰς ἕν. τοῦτο τὸ ἐγχειρίδιον].

Breviarium illud, quod uno libro fecit, id esse quod hodie exstat verisimile est. Inscriptiones autem librorum operis plenioris non iam adservat, quod quidem non est mirum. Nam praeterquam quod nihil nisi materiam prioribus libris fusius subministratam iterum vel potius quartum exponit ipse Hephaestio in angustius contractam quodque non epitomen librorum III vel XI sed proprio nomine ἐγχειρίδιον inscripsit librum suum, hoc premo enchiridium ab eo dispositum esse per capita XV, quibus singulas leges metricas breviter tractat. Nam totidem per capita etiam libros integros olim dispositos esse verisimile est. Supervacaneum ergo erat et capitum et librorum inscriptionibus epitomen discribere, cum etiam his omissis facile inventuri essent legentes, quae anquirebant.

Galenum deinde quod simili ratione in libro, quem inscripsit Σύνοψιν περὶ σφυγμῶν ἰδίας πραγματείας, librorum XVI inscriptiones non servavit, ne id quidem mirum dico. Nam non epitomen librorum illorum conscribere in animo habebat sed brevem earum rerum, quas illo opere plenius tractaverat expositionem. Se eiusmodi librum componere velle declarat in „arte" cap. 37 [Galenus, ed. Kuehn tom. I p. 416] de indice libri adhuc anceps dubiusque:

Ἐννοῶ δὲ καὶ ἄλλο ποιῆσαι βιβλίον ἓν οἷον ἐπιτομὴν ἁπάντων, ὅπερ ἤτοι τέχνην περὶ σφυγμῶν ἢ σύνοψιν ἐπιγράφω.

In libro vero eo, qui inscribitur περὶ σφυγμῶν τοῖς

εἰσαγομένοις, quamquam breviter easdem res atque opus XVI librorum comprehendit, priorem librorum divisionem servare non potuit, quod hanc adumbrationem eo tempore confecit, quo dimidiam fere partem demum maioris operis conscripserat. Qua de re disputavit Ilberg [Die Schriftstellerei des Claudius Galenus, Rhein. Mus. 44 p. 220 sqq.], qui dicit: *Als bereits vollendet erscheinen (in dem Grundriß) die ersten beiden Teile des größeren Lehrbuchs . . . . der dritte jedoch setzt im Gegenteil den Leitfaden voraus. Wir werden somit zu dem Schluß gezwungen, daß Galen den Grundriß niederschrieb, als er mitten in der Ausarbeitung seines ausführlichen Lehrgebäudes begriffen war.*

Tum hoc loco Maccabaeorum librum II afferre volo, cuius in initio legimus: Τὰ δὲ κατὰ Ἰούδαν . . . κτλ . . . τὰ ὑπὸ Ἰάσωνος Κυρεναίου δεδηλωμένα διὰ πέντε βιβλίων πειρασόμεθα δι' ἑνὸς συντάγματος ἐπιτεμεῖν. Jasonis vero illius nusquam alibi mentio fit neque librorum divisionis indicia exstant in libro Maccabaeorum. Itaque res in dubio collocata est.

Denique Zenobium commemoro, cuius liber, qui inscribitur Ἐπιτομὴ ἐκ τῶν Ταρραίου καὶ Διδύμου παροιμιῶν συντεθεῖσα κατὰ στοιχεῖον, hodie quoque exstat. Zenobium tribus libris Didymum et Lucillum Tarrhaeum circumscripsisse Suidas testis est [s. v. Ζηνόβιος: ἔγραψεν ἐπιτομὴν τῶν παροιμιῶν Διδύμου καὶ Ταρραίου ἐν βιβλίοις τρισί]. Sed in epitoma, qualis hodie exstat, neque Didymi librorum XIII ulla significatio superest nec III, quos Suidas dicit, libri satis dignosci possunt [cf. Christ. l. c. II_2 p. 701 (1908[5])]. Qua ex re intellegitur Zenobii opus integrum non iam exstare. Sed utcumque haec res se habet, librorum divisionem neglegere omnino licuit, cum ex ordine litterarum disposita essent proverbia librorumque divisio cum argumenti dispositione rationem non haberet. Eadem de causa etiam in epitoma Phrynichi Arabii librorum XXXVII, qui Σοφιστικὴ παρασκευή inscribebantur, inscriptiones librorum servatae non sunt.

Latinos vero scriptores si spectabimus, simillima ratione librorum inscriptiones videbimus neglexisse S. Pompeium Festum, qui excerpsit libros Verrii Flacci circiter L libris XX.

Quod autem Florus *epitomen de T. Livio bellorum omnium annorum DCC* conscripsit libris II, iam ex ipsa inscriptione et ex rerum compositione scribendi consilium ratioque intellegitur. Nam praeterquam quod etiam Caesaris et Sallustii libris Florus simul usus est, nihil nisi bella elegit. Itaque omnium Livianorum librorum omnino non confecit breviarium nec librorum illius inscriptiones adhibere potuit.

Ceteros scriptores, qui simili ratione vel complura opera vel unius operis non omnia excerpebant, ut Rufium Festum, Aurelium Victorem, Vegetium, Julium Obsequentem praetermitto.

Quod vero Julius Paris, qui X Valerii Maximi libros dictorum et factorum memorabilium ad unum volumen coegit, librorum distinctionem omisit, huius rei causa alia quidem est, sed et ipsa facile perspici potest. Nam et Valerii ipsius libri IX, qui nobis traduntur, et Julii Paridis epitoma disposita sunt per capita, neque igitur mirum est Paridem, qui capitum inscriptiones diligenter servavit, librorum divisionem prae illis neglexisse, quae non nisi propter voluminum chartaceorum amplitudinem facta erat. Idem dicendum est de Januarii Nepotiani epitoma.

Josephi librorum septem de bello Iudaico exstat versio Latina, quae in codicibus inscripta est *Hegesippi historiae libri quinque.* De ratione vero, qua hoc opus confectum sit, J. Caesar in editione [p. 391] haec facit verba: *Josephi de bello Iudaico libros ita secutus est Hegesippus personatus, ut eius IV priores libri respondeant singulis Josephi libris, quinto cum sexto et nonnullis septimi partibus quintus Hegesippi. Neque tamen verbum de verbo transtulit, sed vel e pleniore Josephi narratione*

suam excerpsit, vel rhetorico more maxime locis communibus et verborum sententiarumque floribus nonnunquam satis splendidis adauxit . . . . In aliis quoque locis suum indicium suamque personam interponit et secernit ab Josepho, ut minime meram eius interpretationem proferat.

Sed ne epitomen quidem hoc opus vocare possumus, cum priores IV libri amplitudine respondeant fere libris Josephi nec nisi in posteriore operis parte brevius res exposuit Hegesippus, ut tribus Josephi libris unus liber quintus responderet, ita tamen ut huius libri ambitum duplicaret.

Simillima ratione L. Septimius, qui Dictyis Cretensis Ephemerida belli Troiani in sermonem Latinam transtulisse se dicit, operis sui libros VI confecit ex libris IX. Qua de re ad Q. Aradium scribit: *priorum V voluminum, quae bello contracta gestaque sunt, eundem numerum servavimus, residua IV de reditu Graecorum in unum redegimus* [cf. Schanz l. c. IV p. 88].

Denique disserendum est de epitoma, qua Firmianus Lactantius ea, quae VII Divinarum institutionum libris explicaverat, omissis librorum inscriptionibus in unum contulit. Eadem fere aetate fuit Lactantius, qua Justinum fuisse contendit Klotz. Lactantium vero voluminibus chartaceis usum esse ex ipsius verbis apparet [in praefat. epitomae]: *Horum (scil. Divin. inst. librorum) tibi epitomen fieri desideras . . . . difficile videtur, ea quae VII maximis voluminibus explicata sunt, in unum conferre.*

At non solum librorum VII divisionem sed etiam capitum inscriptiones, quibus pleni libri ornati sunt, omnino neglexit. Singulas enim VII librorum inscriptiones in opere integro sequitur argumentorum index velut in libro primo *de falsa religione*, in secundo *de origine erroris* similesque. Hae quoque inscriptiones in epitoma deletae sunt nec nisi ex contextu nonnunquam apparet transire orationem ad novum argumentum, quod olim proprio libro expositum erat.

Cur vero Lactantius et librorum inscriptiones et argumentorum indices neglexerit si quaeris, certum quidem responsum non habeo, nisi forte eum putamus minus epitomen VII librorum quam novam eiusdem rei explanationem breviorem proponere voluisse. Facilius autem quam ei, qui libros multis saeculis post editiones principes in brevem formam contrahebant, auctori ipsi librorum suorum divisionem neglegere licebat, cum eius esset potissimum ad libidinem per volumina disponere materiam. Nec desunt exempla, quibus demonstratur scriptorem librorum numerum sua sponte vel deminuisse vel auxisse.

Sic Ovidium Amores, quos primum libris V ediderat, nonnullis carminibus omissis ad libros III redegisse probatur epigrammate ipsius [cf. Birt, Berl. Philol. Wochenschrift a. 1913. 39 et 47]:

Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli,
Tres sumus; hoc illi praetulit auctor opus.
Ut iam nulla tibi nos sit legisse voluptas,
At levior demptis poena duobus erit.

Contra M. Tullius Cicero ea, quae Academicorum libris II exposuerat, ad libros IV postea disposuit [cf. Cicero ad Att. XIII 13, 1]. Suo ergo arbitrio auctori licuit rerum per libros dispositionem immutare nec, si alteram eiusdem operis breviorem editionem faciebat, priorem librorum divisionem adnotare utique opus erat.

Haec habui epitomarum exempla, quae afferrem. Magnus quidem est librorum numerus, qui in breviorem formam contracti sunt, plures autem Graecorum quam Latinorum scriptorum epitomas fuisse cognovimus nec recte videtur dixisse Woelfflin saepius apud Romanos quam apud Graecos epitomas inveniri [Archiv für lat. Lexicogr. XII p. 340: *So wird man wohl zugeben müssen, daß das Wort Epitome in der Geschichte der römischen Literatur viel häufiger begegnet als in der griechischen*].

Si vero eorum, quae de priore librorum divisione in

epitomis sive servata sive neglecta exposuimus, summam subducimus, haec potissimum inde effici censeo:

Primum apparet in libris, quos epitomas vel breviaria appellare consuevimus, saepe auctoribus ipsis nihil interfuisse antiquam librorum divisionem servare — id valet de Lactantio —, cum non epitomen ex maiore librorum corpore sed novam rei expositionem eamque breviorem conficere vellent, quam ut suum ipsius opus plerumque edebant.

In eis vero epitomis, quibus se maius librorum corpus in brevem formam coegisse scriptores profitentur, etiam numerum voluminum, quibus opus continebatur, semper deminutum esse apparet. Singula autem epitomarum volumina ipsa in complures libros discribi potuisse nec vero magnitudinem excerptorum ad librorum divisionem delendam vel conservandam ullius esse momenti intelleximus. Certe saepe divisio antiqua in iis servata est. Quam si epitomatores interdum neglexerunt, cogitandum est illam saepe supervacaneam in breviariis fuisse, ibi scilicet, ubi vel alia ratione materia disponebatur vel ex ordine litterarum res tractabantur, ut quidquid legentes quaerebant, id facile invenire possent.

Contra divisionem servare non erat inutile in eis breviariis, quae multo post conficiebantur, ut essent in loco operis integri continua narratione conscripti.

P e r i o c h a s L i v i a n a s ut iam supra commemoravimus nihil nisi summaria vel indices librorum esse, quae unum in locum collecta et ab ipsis T. Livii libris separata neque vero integra nobis tradita essent, contendit Alfredus Klotz [cf. p. 27]. Quam rem planiorem fortasse reddere possumus, si accuratius observamus, q u a r a t i o n e b r e v i a r i a a s u m m a r i i s d i f f e r a n t.

In operibus maioribus libris summaria praemissa esse multis exemplis demonstrari potest. Quae summaria unde originem ceperint, quaerere hoc loco meum non est, sed verisimilis mihi videtur esse sententia Roberti Friderici, qui in libello, quem scripsit de librorum antiquorum capitum

divisione atque summariis [Diss. inaug. Marp. a. 1911], illa profecta esse censet ex consummationibus argumentorum, quae prooemiorum partem haud raro explent quibusque scriptores exponebant, quomodo materiam suam disposuissent. Quae dispositiones modo una omnes primi libri initio insertae opus universum comprehendunt, modo singulis libris praemissae sunt; modo partes tantum operis principales, quae ipsae quoque complures libros complectuntur, talibus argumenti dispositionibus instructas videmus. Inde fit, ut etiam duo summariorum genera secernamus, prout aut omnium librorum capita ante primum librum proponuntur aut singuli libri suis indicibus instructi sunt. Saepius vero hos capitum indices tam arte cum prooemiis vel epistulis dedicatoriis conexos esse videmus, ut potius partes eorum efficiant. Quin etiam in volumine proprio et separato nonnunquam locum habuisse haec summaria cum dedicatione apparet.

Sic C. Plinii Secundi Naturalis historiae epistulam dedicatoriam et indices librum unum per se effecisse constat et ante Plinium Valerium Soranum in librum separatum summaria rettulisse ex Plinii verbis concludi potest [cf. Friderici l. c. p. 56 sq.]. Indicem quoque, quem Polybius secundum ipsius verba operi suo subiecit, et quae apud Gellium inveniuntur summaria pro libello separato habenda esse putat Friderici [p. 55].

Quodsi haec summaria proprio in volumine conscripta erant, fieri nonnunquam potuit, ut operis libris ipsis deperditis sola ad hanc aetatem servarentur. Quo in numero sunt Prologi ad Pompeium Trogum, qui vocantur. Qui quamquam librorum XLIV inscriptionibus discripti sunt, tamen in codicibus manu scriptis inscribuntur liber historiarum Philippicarum. Omnium igitur librorum argumentis in unum locum collectis unus historiarum liber factus est. Simili ratione etiam periochas Livianas originem cepisse putare videtur Alfredus Klotz.

Sed summariorum lectio sola non sufficiebat, neque enim

per se satis intellegi poterant, cum a scriptoribus non nisi eo consilio praemissa essent libris, ut ei, qui opus lecturi essent, quaecumque quaererent, facile invenire possent, semperque delegant legentes ad libros quorum argumenta indicant.

Itaque plerumque incipiunt verbis τάδε ἔνεστι ἐν τῇ — τῶν τοῦ — βίβλων, *primo volumine continentur haec*, similiter. Quid vero insit in libro vel enuntiationibus interrogativis vel enuntiatis ex voce ὅτι incipientibus vel verbis περὶ cum genetivo, *de* cum ablativo vel nominibus recto casu positis significari solet. Exempla habeas haec.

Summarium Diodori libri secundi:

Τάδε ἔνεστι ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν Διοδώρου βίβλων· α΄. περὶ Νίνου τοῦ πρώτου βασιλεύσαντος κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ τῶν ὑπ' αὐτοῦ πραχθέντων . . . . γ΄. ὡς Σεμίραμις τελευτήσαντος Νίνου διαδεξαμένη τὴν βασιλείαν πολλὰς καὶ μεγάλας πράξεις ἐκτελέσατο. ε΄. κτίσις Βαβυλῶνος καὶ τῆς κατ' αὐτὴν κατασκευῆς ἀγγελία κτλ.

Plinianae Naturalis historiae indices:

Libro II continentur: an finitus sit mundus et an unus. de forma eius. de motu eius. cur mundus dicatur. de elementis. . . . quae quis invenerit in observatione caelesti. errantium motus et luminum canonica. . . . de cometis. natura et situs et genera eorum . . . ceteraque.

A. Gellii Noctium Atticarum praefationem:

Capita rerum, quae cuique commentario insunt, exposuimus hic universa, ut iam statim declaretur, quid quo in libro quaeri invenirique potest. Capitula libri primi: I. Quali proportione quibusque collectionibus Plutarchus ratiocinatum esse Pythagoram philosophum dixerit de comprehendenda corporis proceritate, qua fuit Hercules, cum vitam inter homines viveret. II. Ab Herode Attico C. V. tempestive deprompta in quendam iactantem et gloriosum adulescentem specie tantum philosophiae sectatorem, verba Epicteti Stoici, quibus festiviter a vero Stoico seiunxit volgus loquacium nebulonum, qui se Stoicos nuncuparent ceteraque.

Prologos Historiarum Philippicarum Pompei Trogi:

Prologus libri I. Primo volumine continentur haec: Imperium Assyriorum a Nino rege usque ad Sardanapalum: post quem translatum est per Orbacem ad Medos, usque ad ultimum regem Astyagem. Is a nepote suo Cyro pulsus regno, et Persae regno potiti. Ut Croeso Lydiae regi bellum intulit Cyrus victumque cepit. Hic in excessu dicti Aeolicarum et Ionicarum urbium situs originesque Lydorum et in Italia Tuscorum. Post Cyrum filius Cambyses Aegyptum domuit. Repetitae Aegypti origines. Orbum extincto Cambyse Darius occisis magis regnum Persicum accepit captaque Babylone bella Scythica molitus est.

Prologus libri III. Tertio volumine continentur haec: Ut mortuo Xerxe filius Artaxerxes ultus interfectorem patris Artabanum bellum cum defectore Aegypti habuit, primoque dux eius Achamenes victus est; iterum per Bagabaxum Aegyptus recepta. Ut Graecis cum rege pacificatis bella inter ipsos orta sint. Inde repetitae Peloponnensi origines: ut ab Herculis posteris Dorico populo sit occupata. Deinde bella Argolica et Messania, coalitique Sicyone et Corintho tyranni. Bellum Crisaeum et quod Athenienses primo cum Boeotis, dein cum Peloponnesiis gesserunt.

Iam vero periochas Livianas si cum huius generis librorum indicibus comparamus, variam praebent speciem. Primi enim libri periocha „a" [I a, cf. Schanz, l. c. II 1. 1911 3, p. 426] similis sane est illis summariis, cum lemmata sola contineat ut: *Adventus Aeneae in Italiam et res gestae. Ascanii regnum Albae et deinceps Silviorum. Numitoris filia a Marte compressa, nati Romulus et Remus eqs.*

Ceterae vero periochae maxima ex parte brevem rerum gestarum expositionem c o n t i n u a o r a t i o n e scriptam continent T. Livii rerum ordine nonnunquam neglecto, cum iungenda inter se ex diversis eiusdem libri locis uno in loco proponant, quin etiam narratiunculas fusius, quam cum ceteris convenit, tradunt; sic sermo Hannibalis et

Scipionis, qui uno modo capite libri XXXV (cap. 14) narratur, dimidiam fere partem huius libri periochae explet. — Sed saepius inveniuntur talia quoque adiecta: *praeterea continet (liber) bella — res gestas — motus . . . — expeditiones . . . —, eorum coetus et orationes referuntur, exstat oratio* ceteraque eiusdem generis, quibus ad librum Livianum integrum legentes delegantur. Exempli causa affero periocham libri LVIII:

Ti. Sempronius Gracchus tribunus plebis cum legem agrariam ferret adversus voluntatem senatus et equestris ordinis, ne quis ex publico agro plus quam mille iugera possideret, in eum furorem exarsit, ut M. Octavio collegae causam diversae partis defendenti potestatem lege lata abrogaret, seque et C. Gracchum fratrem et Ap. Claudium socerum triumviros ad dividendum agrum crearet. promulgavit et aliam legem agrariam, qua sibi latius agrum patefaceret, ut iidem triumviri iudicarent, qua publicus ager, qua privatus esset eqs. . . . . cum iterum tribunus plebis creari vellet Gracchus, auctore P. Cornelio Nasica in Capitolio ab optimatibus occisus est, ictus primum fragmentis subselliorum, et inter alios, qui in eadem seditione occisi erant, insepultus in flumen proiectus. res praeterea in Sicilio vario eventu adversus fugitivos gestas continet.

Denique affero periocham libri CXXXIV: *Caesar rebus compositis et omnibus provinciis in certam formam redactis Augustus quoque cognominatus est; et mensis Sextilis in honorem eius appellatus est. cum ille conventum Narbone ageret, census a tribus Galliis, quas Caesar pater vicerat, actus. bellum adversus Bastarnas et Moesos et alias gentes a M. Crasso gestum refertur.*

Quae si cum ceteris librorum indicibus comparamus, comprobare non possumus, quod Klotz contendit nihil periochas esse nisi indices singulorum librorum, sed quasi mixtum earum genus esse, magis vero epitomae quam indicis speciem eas praebere concedendum est. Epitomae enim conscribi solebant, ut librorum integrorum in loco

essent, et quamquam etiam licuit simul delegare legentes ad libros integros, quippe qui rem uberius tractarent, tamen per se dignae erant, quae legerentur.

Sic Justinus quoque elegantissimus epitomator ad opus Pompei integrum revocat legentes initio libri XLIII: *Parthicis orientalibusque ac totius propemodum orbis rebus explicitis ad initia Romanae urbis Trogus veluti post longam peregrinationem domum revertitur* eqs.

Si vero periochas Livianas non esse meram epitomen dixeris, Woelfflini saltem sententia [Archiv für Lexicogr. XIV p. 222] comprobanda est, qui censet eas simul deductas esse et ex epitoma aliqua narratione continua conscripta et ex indicibus Livianis, quales exstant Prologi ad Pompeium Trogum.

Epitomae certe conscribi solebant, ut operis integri in loco essent, idcirco solutae a libris erant legendae. Summaria autem, si id assequi volebant, cuius causa facta erant, cum libris integris semper coniungenda erant, praesertim cum ea laborarent steribilitate rerumque penuria, ut disiuncta ab illis lectioni inservire omnino non possent. Denique eius generis excerpta sunt Livii periochae, quae res gestas memorabiliores ita offerunt, ut sufficere videantur studio legentium cadentis aetatis, de rebus minoris momenti ad fontem ipsum suum remittant lectorem curiosiorem.

Index nominum.

Vita.

Natus sum *Henricus Bott* Borussus Hagenoviae in oppido huius provinciae a. d. VIII id. Nov. a. MDCCCXCVI patre *Guilelmo*, matre *Elisabeth* e gente *Heintz*. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus per novem annos gymnasium Hagenoviense frequentavi. Vere a. MCMXV maturitatis testimonio instructus Marpurgum migravi, ut studiis antiquarum et historicarum litterarum me dederem. Initio a. MCMXVIII tiro factus in Belgia et Franco-Gallia stipendia feci. Indutiis factis in patriam reversus mense Ianuario a. MCMXIX militia solutus sum et iterum Marpurgum me contuli ad studia perficienda. Hic examen rigorosum superavi a. d. III non. Dec. a. MCMXIX.

Docuerunt me viri doctissimi hi:

Birt, *Busch*, *Geldner*, *Hamann*, *Jacobsohn*, *Jacobsthal*, *Maaß*, *Natorp*, *v. Premerstein*, *Reinhardt* (nunc Hamburgiae), *v. d. Ropp (†)*, *Stengel*, *Wundt*.

Ad proseminarium philologum per bis sex menses me admiserunt *Birt*, *Maaß*, *Reinhardt*, qui etiam ut per ter sex menses seminarii sodalis essem benigne permiserunt. Praeterea me admiserunt per singula semestria ad seminarium historicum *v. Premerstein*, *v. d. Ropp*, ad seminarium philosophicum *Natorp*, ad proseminarium archaeologicum *Jacobsthal*.

Quibus omnibus bene de me meritis gratias ago, inprimis autem *Theodoro Birt*, qui ad hoc opusculum conscribendum me incitaverit et studiis meis semper benignissime faverit.

Vita